

S. EUSEBII HIERONYMI STRIDONENSIS PRESBYTERI VITA

EX EJUS POTISSIMUM SCRIPTIS CONCINNATA

AD EMINENTISS. S. R. E. CARDINALEM

DOMINICUM RIVIERA.

CAPUT PRIMUM.

I. Hieronymi Patria. II. Natalis annus. III. Nomen.
IV. Parentes et consanguinei.

I. Eusebius Hieronymus, Doctor Ecclesiarum maximus, Stridonem, ignobile oppidum, quod, ut ipse ait, a Gothis eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit (*Lib. de Vir. Illus. cap. ult.*), ortu suo nobilitavit. Sed hanc laudem, pristinis loci vestigiis jam tum ab illius ævo fere deletis, plures hodie civitates sunt, diversæque provinciæ, quæ sibi vindicent. Concertationes quoque recentiorum hac super illud Dalmatiæ adscribunt : et Dalmatam quidem Hieronymum dixit suppar illi Scriptor Palladius. Vulgo etiam, ne recitandis Auctorum nominibus immoremur, sententia ista obtinet, et magni nominis testium nititur auctoritate. Sed primum ipse se nunquam Dalmatam S. Pater vocat. Quin potius alio natum sub cælo indicat, cum alibi, tum inferius laudando testimonio in Sophoniæ caput primum. Non est deinde locum invenire in Dalmatiæ finibus, qui vel nominis similitudine, vel terræ situ, antiquam Stridonem referre commode videatur. Nec vero quempiam de nomine assignat Lucius, magnus sententiæ ejus vindex, et nuperus rerum Dalmaticarum historicus ; qui autem Sidrona Ptolemæi huc referunt, quam longe ab omni veri specie aberrant, mox, ubi de Liburnia dicemus, planum erit.

Alii Pannoniæ malunt adtribui ; nam et in Nicænis subscriptionibus *Domnus quidam Stridonensis ex Pannonia Episcopus* nominatur, et ab eo, qui proxime præcedit ibi, Episcopo Dalmatiæ distinguitur. Et quanquam subscriptiones illæ, num sint Nicæni, an alteri sequioris temporis Synodo tribuendæ, disputatum est ; nihilominus Stridonem Pannoniæ olim accensitam, satis persuadent. Nec par credere est, quod autumat doctus vir, fuisse postmodum e Dalmatia in Pannoniæ censum translitam, cum Eccle-

S. HIERONYMI. I.

siasticæ provinciæ vetustiori partitioni sæpius ad hæreant. Pannonium quoque se ipse subindicat S. Pater, ubi Patriam suam *rusticitatis vernaculam (Epist. VII)* vocat, et Castrucium veterem amicum fortasse et conterraneum, *Pannonium hominem, id est terrenum animal (Ep. LXVIII)* appellat ; quo non videtur dicerio fuisse amicum petiturum, nisi et sibi illud commune ex gentis ingenio fuisset. Sed quod aiunt qui ab hac parte stant, Stridonem eam fuisse ad Muram fluvium, alias in Pannonia superiori, hodie in Stiria XV. mille passibus infra Rakeltburgum in Eurum, versus confluentes Muræ in Dravum, sive, quod eo tamen recidit, prope arcem Csan Tornga, nec nisi diei itinere distantem a Sabaria, quod noti nominis in Hungaria est oppidum : hi, inquam, rem dicunt incredibilem. Et siquidem nullus alius locus est, cui possint Hieronymianæ patriæ partes adjudicare, ipsi quod proposuerant, plane destruunt. Est enim locus ille in media fere Pannonia, non ad ejus limites : nec potuit unquam, quod ait Hieronymus, fuisse Dalmatiæ confinis ; atque adeo illa ejus patria omnino non fuit.

Propius ad verum dicere visi sunt, qui in Liburnia eam collocant ; erat enim ea provincia Pannoniæ et Dalmatiæ contermina, et ab hac quidem Bebiis Montibus a Strabone memoratis, ab illa autem Thisio flumine separabatur. Porro ibi Ptolemæus (*Lib. II. c. 17*) cognominem fere urbem Sidronam inter mediterraneas recenset, datque Liburniæ, ita tamen ut in limitem Dalmatiæ incidat, paulo supra Titii amnis fontes, qui Liburniam finit. Salva hoc invento visa res est : nam etsi Pannoniam, Dalmatiamque, non autem Liburniam Hieronymus memorat, potuit ejus ævo, mutatis subinde provinciarum finibus, urbs illa ex Liburnia in Dalmatiam, sive Pannoniam immigrasse : imo et satis, ut sentio, est, si utramque provinciam neutri ipsa adscripta, terminaret. Multis itaque hæc sententia persuasit, tametsi

(Une.)

invicem vel pro Pannoniæ, vel pro Dalmatiæ laude certantibus : et diu est, quod meliorem Critici magni nominis amplecti nesciunt. At vero nimirum illa dissita est civitas ab eo terræ tractu, quem ferunt, et vitæ Hieronymianæ series significat : neque est verosimile longius eam ab eo solo ortum duxisse, in quo apparet perierat egisse, et a primis nubicibus junxisse amicitias. Tractum, inquam, qui Æmoniam inter et Aquileiam interjacet, sive in earum vicinia est, a quo Sidrona Ptolemæi tota ipsa, in cujus opposito est limite, Liburnia intermedia provincia ab st. Deinde Liburnia, ut et Dalmatia Illyrico continebantur ; cujus duæ veluti partes erant ; et quanquam totus ille tractus Dalmatia etiam dictus aliquando est pro Illyrico. Liburnia nunquam nisi pro Illyrici, aut si mavis, Dalmatiæ parte intelligitur. Testatur autem ipse conceptis verbis S. Pater, in alio se ab Illyrici solo natum : *Testis*, inquit in Sophon. cap. I. vers. 2. *Illyrium est, testis Thracia, testis, in quo ortus sum solum.* Igitur Liburniæ, quæ Illyrico comprehendebatur, natus non est : omnino autem non Sidronæ Ptolemæi, quæ Liburniam ad orientem finit, ac juxta ipsum Ptolemæum (qui Illyrici fines ab Istria ad Scardum usque montem et superiorem Mœsiam producit) medio ferme Illyrico a tergo adjacet.

At quoniam, inquit, denique loco natale S. Patris solum, et apud quas gentes investigabimus ? Ego, si quam olim Erasmus, et non ita pridem Lucius, præposteri studii et affectus parum digni gravibus viris insinularunt, sententiam replicare licet, in Istria, atque ea Italiæ quidem nostræ, cum longe doctissimis Scriptoribus, e quorum numero est Thomas Archidiaconus Spalatensis, qui initio Sæculi XIII. vixit, Blondus, et Marianus Victorius, constitui malim. Sdrignam nunc vocant, sive Sdrin, oppidulum in Tergestina diocesi, inter Petram pilosam, Portulam et Primontem situm vix millibus passuum XL. distans ab Aquileia. Id ipse nobis visus est manifesto indicare Hieronymus loco superius laudato, si mentem ejus recte perceperimus. Quod enim ait, eam civitatem fuisse quondam Dalmatiæ Pannoniæque confluium, veterem se memoriam repetere, non sui temporis, ostendit ; et quod duas confines provincias memorat, locum arbitrando facit, neutri fuisse eam proprie addictam. Porro Dalmatiam olim ad Istriæ usque limitem pertigisse, ex antiquis Geographis intelligas, atque his maxime, qui eam sub Illyrici vocabulo describunt, ut nec Dalmatiam de nomine unquam vocent, cum primis Pomponio Mela, Scyrius Chio, Scylace atque aliis. Sed neque ipse diffidetur dudum laudatus Lucius, cum cœpit Illyrici maritimi nomen obsolescere, proque ejus *Dalmatiæ* vocabulum frequentari, hanc non solum veteres suos terminos, sed finitimam quoque Liburniam comprehendisse. Confinium illud itaque Dalmatiæ, ad quod notat S. Pater positam patriam suam Stridonem, in extremo Liburniæ ad Occasum limite omnino quaerendum est. Eo nimirum fines Pannoniæ superioris, quæ exinde ad septentrionem vergit, incurrunt. Istria

porro contermina utrique regioni est : atque hujus quidem initio versus Oeram montem (ut sua his ratio constet, quæ de perobscuro illo Dalmatiæ olim Pannoniæque confinio, tradita ab eo sunt, quæ alias minime, ut hactenus ostensum est, intelligi, aut explicari possunt) Stridonem collocari, recta ratio persuadet. Ita et Pannonius et Dalmata, verius fortasse etiam Italus, quandoquidem Italiæ Istria jam ab Augusti, Tiberique temporibus attributa est, juxta veterem divisionem vocari potuit. Neque ulla heic earum objectionum locum habet, quibus aliæ superius recitatae sententiæ refutantur. Quod vero locum eum esse diximus, quem *Sdrignam* hac tempestate appellant, partim Antiquorum opinioni, partim nominis nescio cui similitudini damus : denique et prævulgatæ incolarum traditioni, qui in hujus rei fidem monumentum ibidem Eusebii patris cum Epitaphio Iamini insculpto ostentant. Alioqui satis proposito nostro est, si in eo Istriæ tractu locandam Hieronymi patriam evicimus, tametsi alio, nobisque ignoto nomine oppidulum illud jam tum ab ejusdem S. Patris ævo a Gothis eversum, modo vocetur. Certe (quod alterum argumentum est in hanc rem) haud procul ab Aquileiensi agro exstitisse, pleraque omnia comprobant vitæ ejus adjuncta, inque scriptis testimonia. Ejusmodi est illud (*Epist. VII*), quod Chromatio, Eusebio et Jovino Aquileiensibus Presbyteris sororem suam, quæ bonos in patria vitæ magistros non haberet, commendat, eamque Juliani Diaconi, et quidem, ut in mss. libris dicitur, *Aquileiensis*, fructum vocans, ut crebris epistolis in sancto proposito sustentent, et ut etiam a Papa Valeriano, Aquileiense tunc Episcopo, ad eam confortandam litteras impetrent, rogat. Si longius aberat, imo nisi finitima erat Aquileiæ Stridon, minime est verosimile, agentem utique in patria et domi sororem præsentis fuisse Juliani adhortationibus in sanctoris vitæ, a quo exciderat, instituto solidatam : itemque ab Aquileiensibus amicis petiisse Hieronymum, ut frequentati eam Epistolarum solatio confoverent, atque ab ipso Aquileiensi Episcopo litteras in eam rem exigerent. Alia ex parte Æmonenses virgines (non *Hermonenses*, ut hactenus perperam lectum est) et Antonium in eadem civitate Monachum ita per Epistolas adloquitur, ut in vicinia exstitisse patriæ suæ indicet : atque ibi cum primis, ubi de sui nominis obtrectatore apud istos conqueritur, quem unum eundemque esse cum eo liquet, qui eum apud Aquileienses sinistro ore dilaniabat. Est autem Æmona, quæ nunc Lubacum, vulgo *Laubac* appellatur, limitanea olim urbs Italiæ, et ut Ptolemæo dicitur, inter Italiam sub Norico Pannoniæ, distans passuum millibus ab Aquileia circiter quinquaginta. Quid hoc itaque verosimilius, quod dicebamus, in isto Aquiliam inter atque Æmonam tractu, versus Alpes Julias, quo loco juxta veterem distributionem in eosdem terminos Pannonia et Dalmatia, sive, quæ illo tunc vocabulo pars ejus appellabatur, Liburnia concurrebant, Stridonem natale Hieronymi solum exstitisse ?

H. Alia est de anno, quo in hunc prodiit, eaque haud minus anceps atque obscura inter eruditos disputatio. Locum quaestioni, et variis hominum ea de re sententiis fecit Prosper in Chronico Integro, ut vocant, quod ex Lodonensi codice ms. Philippus Labbeus primus edidit, et nuperus Antiquarum Cansisii lectionum Editor recognovit. Anno enim Christi 331, Basso et Ablavio Consulibus, natalem S. Hieronymi diem consignat : et licet non satis bene sibi in annis supputandis constet, ubi mortem ejus ad an. 420 Theodosio IX. et Constantio III. Coss. refert : in eo tamen quod errat (quippe qui annos illi 94 vitae tribuit), ostendit ortum ejus citius poni maluisse quam serius. Et errore quidem illum alii commoda interpretatione elevant, conciliantque secum ipso Prosperum, et cum eo veterem Vitae Hieronymi Auctorem, qui Gennadius vulgo habetur, et annos ei tantum 88 tribuit : denique et cum Augustino, quem noster in Epistolis subinde tanquam dignitate patrem, aetate autem filium compellat. Cum vero adversus historicam veritatem, serienique rerum Hieronymianarum continuo pugnet illa Prosperi notatio, et longo nimis intervallo S. Patris ortum praevortat, nobis qui ejus Vitam ex ipsiusmet scriptis adornamus, hujus testimonia, quae de aetate sua profert, illius auctoritati, et quot sunt quotque fuerunt Criticorum ea de re sententiis, praeferre liceat. Ratum primo certumque sit, eum cum se vel infantem, vel puerum, vel adolescentulum vel juvenem vocat, confertque cum una quapiam rerum a se gestarum notatione, Pythagoricam, ut Laetius tradit (*lib. VIII. Sect. 9. 10*), aetatis humanae per vicennia computandae methodum, quae et passim tunc obtinebat, sequi. Puer, inquit, viginti annos implet : Adolescens viginti : Senex viginti. Sola infantia est, quam a pueritia non distinguebant, sed quasi pueritiae partem ad usque decimum quintum annum protraherant, quemadmodum de Varrone Censorinus (*de Die Nat. Cap. XIV*) docuit. Ita et S. Benedicti Regula cap. LXX. *Infantibus usque ad quintum decimum annum aetatis disciplinae diligentia et custodia adhibeatur ab omnibus*. Hac probe constituta regula, si Hieronymi verba expendamus, exploratum fiet, eum anno circiter 346 natum, serius quam Prosper tradit, annis admodum quindecim. Experiamur itaque insigniora saltem aliquot per gradus aetatum loca. In Epistola LXVIII. ad Castrucium num. 2. *Brevem inquit, tibi fabulam referam, quae infantiae meae temporibus accidit. Beatus Antoninus cum a S. Athanasio Alexandriae Episcopo propter confutationem haereticorum in urbem Alexandriam esset accitus, isset ad eum Didymus, etc.* Factum hoc narrant Chronologi accuratiores anno 335, quo tempore annos natus erat Hieronymus juxta nostram hypothese[m] fere decem : juxta eos autem, qui Prosperi calculos quoquo tandem modo sequuntur, vigesimum quartum excesserat, et non modo non infans adhuc erat, aut puer, sed jam adolescentiam ingressus. Ulterius quidem in Isaiam lib. V. cap. 15. spatia hujus aetatis producit, ubi ad tempora infantiae

suae refert *Motum terrae magnam, quando totius orbis litus transgressa sunt maria, eademque nocte Areopoleos mari conciderunt*. Si enim eum dicit terrae motum, ob quem refert Ammianus quoque Marcellinus, *mare suos terminos excurrisse* (*lib. XXVI. Cap. 10*), et Idatius mensi Augusto anni 365 intelligat, atque ipse demum Hieronymus in Chronico, *mare litus egressum* narrat : jam annum expleverat decimum nonum, ad quem usque infantiam protrahere, nihil quidem retat, si, ut supra notatum est, pro pueritia sumitur : proprie autem decimum quintum ex aetate non videtur excessisse. Sed et alii per ea tempora motus terrae horribiles acciderunt, ad quos locum hunc referre fortasse quis malit : et nos olim ibi annum diximus designari 344, quod nunc tamen induci volumus, atque emendari. Ut ut se res habeat, aliorum sententiae, quae citius ortum S. Patris notant, aptari huic testimonio nequaquam possunt. Verum illud caeteris illustrius est, quod habet Lib. de Locis ad vocem *Drys Mambre* ex Genesi ; Quae, ait, *usque ad aetatem infantiae meae, et Constantii regis imperium terebintus monstrabat pervetus, et annos magnitudine indicans*. Illis, si quid video, uterque postremus cum infantiae aere scilicet, tum imperii Constantii terminus designatur. Enimvero iste Imperator cum desit anno 361, annum agebat vitae decimum quintum S. Pater, quo nimirum infantiam concludi dudum ostendimus. Id porro si verum est, ut veri speciem omnem habet, nihil poterat accuratius ad ortus sui annum, quem dicebamus 346, declarandum dixisse.

Sane infantiam excesserat, cum puerum se vocat : ut est illud in Abachuch (*lib. I. Cap. 10*), *Dum adhuc essem puer, et in Grammaticae Indo exercerer, omnesque urbes victimarum sanguine polluerantur, ac subito in ipso persecutionis ardore Juliani nuntiatum esset interitus, eleganter unus de Ethnicis, etc.* Interfectus est Julianus anno 363, qui erat vitae Hieronymi decimus septimus. Alibi totos qui aetati illi adtribuuntur, viginti annos supputat. Ejusmodi est illud Praefat. Commentar. in Epist. ad Galat. *Non quod ignorem Caium Marinum Victorinum, qui Romae, me puero, Rhetoricam docuit, edidisse Commentarios in Apostolum, etc.* Cui geminum est illud lib. XII. in Ezechiel cap. 40. *Dum essem Romae puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum caeteris ejusdem aetatis et propositi, etc.* Enim vero cum Romae daret litteris ediscendis operam, factus jam grandior, et etiamnum tamen puer, annos viginti compleverat. Deinceps adeo cum Pueritia jungit Adolescentiam, eoque clarius in rem nostram annum, quo natus est, indicat, quo propius terminos aetatis utriusque, unde rationes subducamus certiores, attingit. Epist. LII. ad Nepotianum, *Dum essem, inquit, Adolesceus, imo et pene Puer et primos impetus lascivicitatis aetatis eremi duritia refranarem, scripsi ad avunculum tuum Heliodorum exhortatoriam Epistolam*. Ea data est anno, ut pluribus suo loco ostendimus, 373, cum ipse initia adolescentiae jam duceret, sive annos natus esset viginti septem : id quod adeo in supputatione hac nostra recte

habet, ut fere ex hoc uno testimonio verus, quem diximus, natalis ejus annus jam constet. Et vero iisdem plane verbis usus est ætatem Imperatoris Valentiniani, cum mortem oppetiit, notaturus, Epist. LX. sive Epitaphio Nepotiani, *Adolescens*, inquit, *Valentinianus, et pene Puer, post fugam, post exsilia. . . necatus est.* Constat enim ab illorum historiis temporum, eum tunc annum sextum supra vigesimum egisse, tot nimirum, aut uno minus, quot de se ipse loquens indicarat: neque enim verosimile est, cum iisdem verbis alio significato de se, atque aliis usum. Eadem ferme annorum notatio est, cum se *ἠνωσθησῆς* adolescentulum vocat, Lib. I. contra Jovinian. cap. 36, *Cum ipse adolescentulus in Gallia viderim Atticotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus.* Quartum aut quintum, ut ex dicendis inferius constabit, a vigesimo annu tunc agebat. Epist. CXX. ad Hedibiam, *Majores tui Paterna, atque Delphidius, quorum alter antequam ego nascerer, Rhetoricam Romæ docuit: alter, me jam adolescentulo, omnes Gallias prosa versuque suo illustravit ingenio.* Quamquam movit hic locus plurimos, qui cum in Chronico legerent ad annum Christi 355 Delphidium referri, Hieronymum, qui tunc etiam in sententia hac nostra annos decem ut summum ageret, solido adhuc decennio ab adolescentiæ initiis distare argumentantur. Sed alia in Chronico notationis ejus est ratio: neque enim quo tempore Delphidius Gallias nominis sui atque operum jam impleverat, sed quo primum anno florere cœpit, de more adnotatum ibi est: id quod aliis ac fere perpetuis exemplis demonstrare, si res ferat, in promptu esset. Porro quis non consentaneum esse intelligat, post alterum saltem decennium et quod excurrit, ad tantam famæ celebritatem, novis subinde elucubrationibus, demum venisse, ut vere dixerit S. Pater, se adolescentulo, eum ingenio suo Gallias illustrasse. Nec quempiam moveat, quod Blesillam in Epist. XXXIX. *viginti annorum adolescentulam* dixit, quam puellam ea de causa fortasse appellari, quis voluisset; nam ubi sequiori generi aptantur ejusmodi formulæ, non eandem plane vim commodamque habent significationem. Denique satis apparet, quam ipse bene, juxta eam regulam, gradibus ætatem insisteret, ubi se in *adolescencia*, vel *adolestem* absolute nominat, quos terminos licuit ad quadragesimum usque annum producere. Commentario XIII. in Ezechiel. cap. 44. *Super qua, ait questiuicula, Romæ adversum Helvidium, illius temporis hæreticum, in adolescencia non grandem librum scripsisse me novi.* Erat enimvero tunc annorum ferme 37, siquidem anno, ut suo loco ostendemus, 383, ille conscriptus est liber. Alia id genus testimonia præterimus, quæ in nostra quidem hypothesi optime omnia conveniunt, cohærentque inter se: juxta alios autem omnes, qui Prosperiani Chronici rationes amant, neque intelligi, neque explicari ullo modo possunt. Singularem modo animadversionem adpreciam, qua hæctenus disputata solidius constituantur Præfatione Commentarii in Abdiam proficitur

S. Pater, olim se, qui *necdum ad ætatem perfecti viri, et in mensuram Christi venerat, in adolescentia provocatum ardore et studio Scripturarum hunc eundem Prophetam fuisse allegorice interpretatum.* Hæc, quæ et minime ætatem tulit Expositio, Auctore ab ipso repudiata, ad annum pertinet, ut alias declaratum est, atque infra manifestius constabit, 374 aut sequentem, quo tempore de se prodit ipse, nondum ad ætatem perfectam plenitudinis Christi venisse. Ætas autem Christi perfecta triginta annorum spatio continetur, ipso Hieronymo sui sensus interprete, qui Epist. LXXXII. ad Theophilum, pro fratre suo Pauliniano disserens, cujus præmaturam ordinationem Joannes caussabatur, *Ætas*, inquit, *ejus et Beatitudini tuæ nota est, et quum ad triginta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendam, quæ juxta mysterium assumpti hominis in Christo perfecta est.* Si ergo nondum ipse ad eam ætatem, sive ad annos triginta pervenerat, cum specimen illud Commentarii in Abdiam scripsit, sive anno 374, jam patet luce meridiana clarius, minime ejus ortum posse altius, quam ab anno 345 revocari. Ut vero ad insequentem proxime 346 differatur, et quæ superius disputata sunt, facile suadent, et laudatæ hujusmet Præfationis in Abdiam locus ille, ubi appellat se *Puerum*, quo vocabulo videtur voluisse, quod paulo ante dixerat in *Adolescentia*, contemperare, ut se hujus ætatis initia potius quam medium agere, et non exiguo admodum ab 30 annis spatio tunc abfuisse, significaret.

III. De nomine etiam S. Patris, ut ne quid disputationibus in utramque partem decisset, inter eruditos controversum est. *Hieronymus*, quod erat illi cognomen, aliis cum Victorio sacram legem significat: aliis cum Erasmo, idque multo verius, sacri nominis appellationem. *Eusebius* (quod fuisse patri suo nomen, declarat ipse de se loquens in Catalogo Scriptorum illustrium, seque ab illo accepisse, ipsa nominum ratio, et gentis antiquæ consuetudo persuadent) fuerunt, atque adeo sunt nonnulli, qui penitus removeri ab Hieronymo velint: alii, quorum de numero Menægius ad Laertium, qui ex aliquot Cæsarensis Eusebii librorum interpretatione de Græco in Latinum ab ipso adornata, adeptum sibi contendat. Qui quidem, ut alias diximus, nugari potius, quam serio dicere nobis videntur. Sed et aliud invenitur in antiquis libris additum illi sive nomen, sive prænomen *Sophronius*, de quo, ut paulo attentius disquiramus, digna visa res est. Martiæus quidem prænotatum in uno alteroque ex iis tantum libris invenit, qui falso adtributa S. Patri opera quædam exhibent, neque adeo satis eorum esse testimonium ad faciendam rei fidem, existimavit. Nobis meliore uti fortuna contigit, qui genuinis quoque monumentis inscriptum invenimus, tamen etsi, ut nihil dissimulemus, in codicibus non usque adeo vetustis, et qui duodecimum, ut conjicere licuit, sæculum anteverterent. Duos possidet Ambrosiana, quæ Mediolani est, Bibliotheca, quorum alter numero 88 prænotatur, continetque librum Nominum Hebrai-

corum, qui sic inscribitur, *Eusebii Sophronit Hieronymi*, licet hæc Epigraphie perbrevis Epistolæ, *de formis Hebraicarum litterarum*, quæ Præfationis in eum Librum vicem gerit, ab studioso quoque, non Hieronymo, adornatæ, quam et huic Tomo nos primum adnectimus, præfixa videatur. Alterius autem, qui Librum de Locis Terræ Sanctæ continet, luculentissima inscriptio est hujusmodi: *Incipit præfatio Domini Eusebii Sophronii Hieronymi in libro Locorum, ab Eusebio Pamphili Cæsariensi Episcopo prius edito quidem in Græco, sed a præfato Hieronymo postmodum diligentius in Latinum styllum translato*. Quo quidem testimonio facile adducar, ut credam, hoc quoque ei nomen fuisse Sophronio, sive illud infans acceperit ipsis ab incunabulis, sive post, cum vitæ doctrinæque merito celebrari per orbem cepit.

IV. Igitur, ut quæ latius disputare hactenus necesse fuit, paucis ad Vitæ describendæ modum colligamus, Eusebius Sophronius Hieronymus Stridone, quæ civitas in Dalmatiæ olim Pannoniæque confinio, ad Italiæ potius limitem videtur pertinuisse, certe quidem non longe ab Aquileia atque Æmona, nobilissimis Italiæ urbibus, aberat, natus est, anno Christi, ut videtur, trecentesimo quadragesimo sexto, annum jam undecimum imperantibus Constantio, et Constante, fratribus Augustis, eundemque Julio Papa Christianam rempublicam administrante. Parentes suos ambos Christianæ religioni addictos, ipse non uno loco, maxime vero Præfatione in Jobum affirmat: a quibus et sancte educatum se prodit. Jure etiam colligas ex Epist. LXXXII. Ad Theophilum num. 2. eos Arianis per ea loca grassantibus nunquam animum aut aures accomodasse, siquidem se ab illis gloriatur *ab ipsis, ut ita dicam, incunabulis catholico lacte nutritum*. *Nemo namque magis Ecclesiasticus est, quam qui nunquam hæreticus fuit*. Quidam asseverant, et nobilissimos fuisse. Erit fortassis e contrario, qui ob nominis Græcam originem, non Romanam, de genere servili subdubitent. Et mihi quidem scrupulum movit aliquando locus e dudum laudata Epistola num. 3. ubi ad Joannis Jerosolymitani criminationem de Pauliniano fratre *et servo Clericum facto*, nihil aliud respondet, quam et ab ipso Joanne nonnullos ejusmodi Clericos haberi, et *Onesimum legi inter Pauli renatum vincula, Diaconum capisse esse de servo*. At vero, si ejus erat conditionis ipse, non videtur fore, ut Palladium *servilis nequitie* hominem in Prologo contra Pelagianos vocaret, quod facile potuisset notæ ejusdem servilis ab adversariis insinulari: eoque minus, ut per jocum adderet, non se ejus nobilitati invidere. Ad hæc divites, atque amplo patrimonio honestatos parentes ejus fuisse, inter Scriptores fere constat. Notum illud quod et vulgo afferunt ex libro primo contra Rufinum, ut probent, numerosam servorum familiam illos habuisse: *Memini me puerum cursitasse per cellulas servulorum, diem feriatum duxisse lusibus*, etc. Quanquam hoc ve-reor, ne satis apposite accipiant, ac recte interpretentur. Patrimonium certe a Patre relictum, quod Hieronymus divendi demum curavit, ut pecuniæ quod

rediret, excipiendis undequaque confluentibus Monachorum turbis expenderet, haud sane mediocre esse oportuit, licet modeste ipse vocet Epist. LXVI. *Semiratas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, et parentum communium census*. Denique et ubi Epist. VII. describit patriæ suæ mores, in qua *Deus reuter esset, et sanctior ille, qui ditior*: et Epist. XXII. ubi inter cætera vitæ commoda, se ait, *consuetudine lautioris cibi propter cælorum regna castrasse*, aliisque pluribus locis, ut cum loquitur de Bonosi contubernio, de itineribus quæ emensus est longis, de instructissima Bibliotheca, quam sibi comparaverat (Epist. III), non obscure se prospera satis natum fortuna indicat. Patri nomen Eusebius fuit, quod et supra inuimus, et ad filium more Romano transit: Matris quodnam esset, non proditur. Matertera, id est, matris soror, Castorina dicta est, quam malo adversum se animo ob nescio quas causas, Hieronymus semel atque iterum, ut ex Epistola XIII. apparet, ad pacem concordiamque humanissimis litteris invitavit. Habuit et sororem, cujus ignoratur nomen, de qua sæpius in Epistolis VI et VII. loquitur, quod in proposito, ut videtur, Christo serviendi, a quo exciderat, a Juliano Diacono adhortante, permanserit. Fratrem denique natu minorem, nomine Paulinianum, de quo postea nec semel redibit sermo.

CAPUT II.

I. *Probe educatus domi una cum Bonoso, Romam ad litteras ediscendas mittitur. II. Grammaticorum, Rhetorum, et Philosophorum scholas frequentat. III. In via quædam pueritiæ labitur.*

I. Nihil dubium est, cum se ipse, ut superius observavimus, Catholico lacte nutritum ab ipsis incunabulis dicat, quin fuerit infantulus adhuc sancta institutione et præceptis informatus, parentum opera, qui animum rudem primis imbuerint Christianæ pietatis ac fidei elementis. Collactaneus ejus, et vitæ comes Bonosus quidam fuit, e generosa locupletique stirpe progenitus, quem impense laudat, nec semel, præcipue vero Epist. III. ubi, *idem*, ait, *nos nutricum sinus, iidem amplexus fovierint brujulorum*. Studia litterarum quod attinet, primam illam literaturam, quæ Grammaticæ velut infantia est, in patria edidit a præceptore, quem Orbilius ab eo, de quo Suetonius, celebri Beneventano Grammatico, acri atque plagoso, cognominat, et ad quem *sævientem*, se ait, *de aviæ sinu tractum esse captivum*.

II. Grandior factus, et etiamnum tamen puer, ubi domesticis præceptionibus roboratus publicam lucem quærere cepit, Romam missus est, liberalibus artibus erudiendus. Annorum fuerit fere duodevigi-ginti, nam Romæ cum tunc egisse verosimillimum est, cum de subito Juliani interitu dictum illud ethnici audivit. Erat vero ille annus 363, ut superius animadvertimus, et *puerum se tunc in Grammatica ludo exercuisse testatur*. Applicavit autem ibi ad Donatum Grammaticum tunc celebratissimum, cum

ipsum qui in Terentium et Virgilium Commentarios reliquit : in cujus schola tantam sibi Latini sermonis peritiam atque elegantiam comparavit, ut facile omnes eorum temporum Scriptores hac laude superaret. Meminit ejus S. Pater in Commentariis in Ecclesiastem, aliisque pluribus locis, quorum unum laudasse satis erit in Libro II. contra Rufinum. *Puto quod puer legeris Aspri in Virgilium et Sallustium Commentarios... Velcotii in Orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos ejus, et in Terentii Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, et aliorum in alios.* Sunt qui et Victorini, eximii per idem tempus eloquentiæ magistri, auditorem fuisse eum dicant. Sed quando id nunquam ab ipso proditum est, qui ejus sæpe, cum alibi et laudato dudum loco, tum in Catalogo Scriptorum illustrium (*Cap. CI*), et in Præfatione in Epist. ad Galatas meminit, nec verbo tenus id notat; ut illis assentiamur, nulla nos argumenta adducunt. Imo vero refragatur hoc ipsum de eo silentium præsertim in Chronico, et modo laudato testimonio, quibus locis Rhetoris illius una cum Dapato mentionem faciens, hunc unice, minori numero Præceptorem suum appellat: illum nec magistrum, neque amicum vocat. Neque vero hinc putes, eum a Rhetorum exhedris abstinuisse; quin imo primas eloquentiæ dedit, et puerum se in Controversiis luisit, libro contra Pelagianos primo testatur; et cap. 2. Commentariorum ad Galatas, *Aliquoties, inquit, cum adolescentulus Romæ Controversias declamarem, et ad vera certamina fictis militibus exercerer, etc.* Accessit etiam ad Forum, et tribunalia iudicum, ut disertissimos Oratorum audiret. Denique et prædicationis diasyrticæ strophis lusit, id est, Oratoriæ artis, quod fere præcipuum est, novit, cum ea ad quæ respondere difficile est, elevantur. Nec inter Grammaticos tantum, aut Rhetores detritus est, sed et Dialecticæ operam dedit, et inter Philosophos etiam se plurimam vitæ partem egisse prodit (*Epist. L*). Porphyrii Isagogas legit, Alexandri Aphrodisi Commentarios vertit: vertit, inquam, id est, versavit diurna nocturnaque manu, non, ut falso hætenus creditum est, de Græco in Latinum est interpretatus. In Epistola LX. ad Heliodorum legisse etiam se narrat, *Platonis, Diogenis, Clitomachi Carneadi, et Possidonii opuscula*: et passim alibi insignem sibi Philosophiæ peritiam comparasse, iis quæ scriptis suis intermiscet, veterum philosophorum placitis ac sententiis ostendit. Maximam quoque Antiquitatis memoriam collegit, ad quam, ut et cæteras facultates perdicendas, optimo sane consilio, Bibliothecam sibi librorum omnigenæ eruditionis refertissimam iugenti labore et sumptibus instravit. Nullum denique doctrinæ genus intactum reliquit, præter artium sacrarum disciplinam, ad quam omnes jam tum (neque enim hæc alia commemoras, quam quæ Romæ puer egit) meditationes videur suas retulisse. Nam et pietatem una adeo coluit, ut ad Ecclesiæ et Religionis potissimum incrementa intelligeres, studia illa conferri. Scribit

ita de se ipso in cap. XL. *Ezechielis: Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi (ex his erat Pammiachus, de quo sæpius infra redibit sermo) diebus Dominicis sepulchra Apostolorum et Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ, ex utraque parte ingredientium per parietes haberent corpora sepultorum: et ita obscura sunt omnia, ut propæmodum illud Propheticum complectatur: Descendant ad Infernum viventes, etc.*

III. Cum nondum tamen Baptismo esset initiatus, junque initia duceret adolescentiæ, quæ ætas juxta ejus supputandi rationes, post viginti annuum succedit, non satis sibi cavuit, *lubricum adolescentiæ ier, in quo et lapsus se Epistol. VII. ad Chromatium, humillime confitetur. Peccati quoque genus, quo conscientiam suam polluit, ad Heliodorum scribens Epist. XIV. notat, ubi quam amiserat, virginitatem deplorat: Et hoc ego non integris rate vel mercibus, nec quasi ignarus fluctuum præmoneo, sed quasi nuper naufragio ejectus in litus, timida navigaturis voce denuntio, In illo æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat. Ibi ore virgineo ad pudicitiam perpetranda naufragia, Scyllæum revidens, libido blanditur, etc.* Manifestius in Epistol. XLVIII. ad Pammiachium, ubi primam, quæ a natiuitate est, virginitatem sibi adimens, alteram quæ est a Baptismo, vix sibi servat: *Virginitatem, inquit, in cælum fero, non quia habeam, sed quia magis mirer quod non habeo. Ingenua et verecunda confessio est, quo ipse carens, id in aliis prædicare..... Nullus se decipiat: neque blando adulatore se præcipitet, Prima est virginitas a prima natiuitate: secunda virginitas a secunda natiuitate.* Sunt qui lapsus ejusmodi pluribus excusent; mihi satius interdum videtur, commissum aliquod, cum cicatricem in Sanctis agnosci, quorum, ex vitis ad pietatem respicientium, exempla efficacius nos moveant. Addam propterea videri posse, etiam post Baptismum deliquisse, ac se polluisse iterum: ut quemadmodum ad secundam virginitatem induendam Baptismi aquis, ita altero ignis baptismo ad sordes alias detergendas indigeret. Verba ejus sunt Ep. XVIII. ad Damas. num. 11. *Ego quia et oculis video ad concupiscendum, et manu scandalizor et pede, et omnium membrorum parte delinquo, habeo omnia immunda: et quia semel spiritu baptizatus, rursus tunicam pollui, secundi baptismatis purgatione, id est, ignis indigeo.* Verum nihil habet in his singulare, et quod a vulgata Sanctorum hominum phrasi, qui modestiæ causa sese deiciunt, abhorreat.

CAPUT III.

I. Romæ Baptismus suscipit, II. Sub Liberio Papa, anno circiter ætatis suæ XX.

I. Non alibi quam Romæ fuisse Hieronymum Lavacro Baptismi ablutum, ita pro certo habemus, ut qui aliter sentiunt, idque factum Aquilicæ volunt, et inscriptum olim lapideum (falso tamen) testem ad-

libent in eam rom, valere penitus jubeamus. Testis ipse omni exceptione major est S. Pater in duabus ad Damasum Epistolis XV. et XVI. *Inde*, inquit, *nunc nix animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi*. Et, *Ego igitur, ut ante jam scripsi, Christi vestem in Romana urbe suscipiens, nunc barbaro Syriæ limite tencor*. Neque enim heic alia Christi vestimenta intelligi ullo modo possunt, quam quæ juxta Apostolum per Gratiae lavacrum et Fidem induimus, ut præteream, ad candidas quoque vestes, quibus amiciri solebant olim Christiani Baptismi tempore, iis verbis adludi. Certum præterea, imo et sententiæ hujus consecrarium est, eum non statim a natiuitate, neque primis infantie annis, Baptismum suscepisse, sed adulta ætate, nimirum cum Romæ esset. Verum heic perdifficilis quæstio oritur, num scilicet cum primo Romam advenit literarum studiis erudiendus, an postea, cum, peragratis jam Gallis, et de solitudine ineunda cogitans, eo rediisset, sacris se undis abluerit. Alteram hanc opinionem eruditissimi quique recentiorum tuentur, ea ducti cum primis ratione, quod olim qui infantes baptizati non fuissent, differre usque baptismum soleant, quoad juventutis discrimina acrioresque stimulos evasissent : id quod fervido Hieronymi ingenio maxime consentaneum fuerit. Videri autem, aiunt, pietati ejus ac religioni fieri injuriam, si propositum Deo inserviendi, quod cœpit versare animo, ut mox dicemus, cum in Gallias peregrinaretur, Baptismo posterius fuit, nec sane modico temporis spatio, si debet iste ad priorem Urbis incolatum referri. Sed hæc nos minime movent ; nam neque solemne omnibus Christianis fuit, qui sine Baptismo ætate paulum procesissent, ut serius differrent : neque posterius illud Hieronymi Deo serviendi propositum, quidquam defuisse pietati ejus pristinae notat. Quin imo nova eam accessione cumulata : siquidem illud erat, non ingrediendi tunc demum Christianam vitam, sed perfectiorem multo agendi, propositum, quod postmodum in eremo implevit. Præterea, quod redux a Gallis Romam repetierit S. Pater, nullo in ejus vitæ serie, fundamento nititur, imo a veri specie omni abhorret. Sed hæc plenius ex his, quæ dicenda sunt inferius, constabunt.

II. Ratum itaque esto, eum antequam Roma deederet, cum eo primum ad sæculares literas ediscendas venisset, sacris fuisse undis ablutum : hoc nimirum tempore, ad quod nos ordo Vitæ ejus quam conseribimus, duxit, sub Liberio Papa, non Damaso, et cum nondum ipse, ut videtur, annum ætatis vigesimum attigisset. Et vero si, ut dudum ostendimus, non eo usque Baptismum distulit, quod a Gallica peregrinatione regrederetur, consequens est, ut antea suscepit, cum scilicet Romam (neque enim alibi tinctus est) litteris erudiendus venit ; ut si jure illam falsi redarguimus, omnino altera hæc vera sententia sit. Sed et peculiaribus id evincere argumentis libet. Quippe nec ipse obscure indicat S. Pater, se non Damaso, sed pridem ejus decessore Liberio Ro-

manam Ecclesiam administrante, baptizatum. Cum enim ad illum Epistolas modo laudatas scribens, illud urgeat, quod Romæ Cûristi vestimenta suscepit, ut eo justius inde consilium de fide petat : si a Damaso, aut illo Cathedram tenente, suscepisset, utique istud, quod suæ erat causæ palmarium, addidisset ; plane autem tacet in utraque Epistola. Quinimo contrarium in priore innuit, *olim* illo adverbio, *Unde*, inquit, *OLIM Christi vestimenta suscepi*, perinde ac si diceret, antequam tu hujus Ecclesiæ regimen obtineres. Init vero Pontificatum Damasus sub anni 566 finem, cum Hieronymus vigesimum circiter vitæ ageret. Idem arguere est ex temporis notatione, quo amicus ejus Rufinus Baptismum suscepit, anno scilicet, ut serius 571, ut ex ejusdem Epistola ad Anastasium Papam, et lib. II. Investivarum Hieronymi compertum est. Nostrum scilicet fuisse aliquot ante illum annis hocce sacramento initiatum, et concurs doctorum sententia, et nonnulla S. ejusdem Patris testimonia comprobant. Accipe istud ex Epist. IV. ad Florentium : *Ille* (Rufinus) *modo se lavit, et mundus est, et tanquam nix dealbatus : ego cunctis peccatorum sordibus inquinatus diebus ac noctibus opperor cum tremore reddere novissimum quadrantem*. At si post Gallicum domum iter hic tinctus est, vix erat notatu digna temporis differentia : certe quidem non tanta, ex qua illa receptæ dudum innocentie, et contractarum temporis decursu sordium, institui comparatio posset. Igitur tinctus omnino est antequam emenso studiorum curriculo Urbe deederet, annis plus minus ante Rufinum quatuor. Atque hoc referri illud etiam velim, quod alias laudato loco lib. XII. in Ezechielem, se ait S. Pater, cum esset Romæ puer, et liberalibus studiis erudiretur, solitum cum cæteris ejusdem ætatis ac propositi, diebus Dominicis sepulchra Apostolorum et Martyrum circumire. Quid enim aliud propositi nomine heic loci commodius intelligas, quam religionem Christianam, cui nomen per Baptismum dedisset ? Denique vetus quoque Vitæ Hieronymianæ Auctor, qui Genadius audit, cum testatur, cum puer adhuc esset (quod est ex Antiquorum sensu, cum nondum vigesimum annum excessisset) Baptismum suscepisse. Hoc testimonio, etsi aliis de causis Auctori, qui et nomen mentitur, haud multum tribuamus, nullum tamen est aut vetustius, aut propius ad faciendam fidem. Sed hæc hæc tenentur.

CAPUT IV.

I. *Post Romana studia domum revertitur. H. Aquileiæ parumper moratur. III. Gallias petit.*

I. Sæcularibus itaque literis Romæ ad plenum eruditus, diuque ibi in Rhetorum scholis exercitatus, Urbem relinquere, et Gallias petere eruditionis laude tunc florentes, una cum Bonoso, perpetuo studiorum ac vitæ comite, instituit. Egerit tunc Hieronymus vigesimum tertium plus minus ætatis annum, qui reparatæ Salutis erat trecentessimus sexagesimus no-

nus. Colligere hoc est ex ipsiusmet testimonio lib. II. adversus Jovinianum, ubi *adulescentulum* se vocat, cum in Gallis peregrinatus, quosdam *Attacotos, gentem Britannicam humanis vesci carnibus* vidit. Eadem ætatis notatio est, eum *æ jam adolescentulo*, Delphidiun omnes Gallias prosa versuque illustrasse adnotat : ea nimium de causa, quod ipsemet in Galliis ea tempestate ageret.

II. Nilil porro tam est verosimile, quam ut Roma discedens, Stridonem primo remigraret, unde et recta in Gallias contendere, et in paterna domo posset longinquioris peregrinationis sumptus parare. Sed in patria, que ad ingenium non erat, parum stetit Proxime aberat, ut Cap. I. ostendimus, Stridone Aquileia : erat hæc etiam urbs multo nobilissima, et quod Hieronymum magis alliceret, ac detineret, sanctis doctisque viris, maxime qui in celeberrimo ibi Monasterio versabantur, abundabat, quorum illustria adhuc inter Hieronymi amicos nomina multa superant. Ex his unus erat Ruffinus, cujus ob ingenii fortasse præstantiam supra cæteros consuetudine sæpius uteretur, et quocum de studiis verba conferret. In hunc sensum videtur post aliquot annos ad eum scribens Epistol. III. dixisse, *Quam illud os, quod mecum vel erravit aliquando ; vel sapuit, impressis figerem labiis ?* Ex hoc certe primum tempore innote: cere Hieronymum inter et Ruffinum amicitia incepit, nec par credere est, eos alibi quam Aquileiæ prima usos familiaritate ; rem enim plane novam dicunt, et cujus nullum in Hieronymi scriptis, et rerum serie argumentum reperire est, qui Romæ eos multo pridem junxisse amicitias, volunt.

III. Compertum hinc est, non ita exiguo tempore Hieronymum Aquileiæ substitisse. Verum non permittebat insitus discendi ardor, celebrioresque apud exterarum nationes doctrinæ laude viros adeundi desiderium, ut diutius ibi consisteret. Arripuit itaque iter in Gallias, neque unam modo aut alteram ex his invisit, sed omnes, quoad ejus licuit, Galliarum oras perlustravit, ut ex omnibus doctis viris, et bibliothecis thesaurum sibi scientiæ compararet. Id ex eo potissimum apparet, quod locorum per partes non raro, nec sine peculiari animi affectu recordatur, quemadmodum Epist. CXXIII. ad Ageruchiam, ubi *Quidquid inter Alpes et Pyrenæum est, quod Oceano et Rheno includitur direptum a Barbaris miserum in modum dolet. Maguntiacum, inquit, nobilis quondam civitas capta atque subversa est, et in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti. Remorum urbs præpotens Ambiani, Atrebatæ, extremique hominum Morini, Tornacæ, Nemetæ, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitanicæ, Novemque populorum, Lugdunensis et Narbonensis provinciæ præter paucas urbes populatæ sunt cuncta, quas et ipsas foris gladius, intus vastat fames. Non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem ; quæ ut hucusque non rueret, S. Episcopi Exuperii merita præstiterunt.* Sed nullam videtur ex omni Galliarum regione diutius incoluisse quam Treviros. Petierat Ruffinus ab e,

cum jam jam proficisceretur, ut S. Hilarii libros sibi exscriberet : quod ipse cum Treviros venisset, egregie persecutus est, utque ait, postmodum Epist. VI. ad Florentium scribens, *Prolixum valde de Synodis librum S. Hilarii, ei (Ruffino) apud Treviros manu mea ipse descripseram.* Et sane scriptio illa codicis Hilarii non ita brevi confecti potuit. Ad hæc Treverensium idioma probe se calluisse indicat in Proœmio secundi libri Commentariorum in Epistolam ad Galatas, ubi hos, excepto sermone Græco, propriam dicit linguam habuisse atque eandem pene illam esse quam in Gallia Treverenses haberent : id quod nosse tam bene, ut prodit, haud certe exiguo temporis spatio potuit. Alias etiam cum peregrinationis suæ una cum Bonoso reminiscitur, eum statim tractum regionis nominat, *Rheni, scilicet, semibarbaras ripas*, ad quas secum illo *post Romana studia eodem cibo, pari fruere hospitio (Epist. III).* Denique ibi *primus ipse cepit velle Deum colere (Ibid.)*, id est, de ineunda novæ Vitæ ratione, ac de ingredienda fortassis etiam solitudine deliberare, et Bonoso, ut idem institutum arriperet, auctor esse.

CAPUT V.

- I. E. Gallia Stridonem regreditur, et Aquileiam.
- II. Scribit Epistolam ad Innocentium de muliere septies percussa.

I. Quod animo cœperat Christo serviendi propositum in Galliis, ut opere quantocius compleret, Italianam sibi et patriam repetendam intellexit. Non quod vellet in paterna domo, inter cognatos et propinquos Monachum profiteri (*Epist. XV*) ; cum ne in urbibus quidem esse Monachos, æquo animo pateretur ; sed quod rei familiaris, sororis item, et fratris Pauliniani, qui primos tunc annos infantie ageret, cura nescio quæ sibi incumberet. Certe quovis propositum illud statim perficeret, nonnulla impedimento fuere, quæ ipse Christum adloquens Epist. III. ad Ruffinum, verbis illis, *quia implere non potui*, excusat. Substitit proinde in patria, seu potius Aquileiæ propter loci viciniam, et amicorum in ea consuetudinem ; nam et videntur eo referenda præcipua amicitiarum ejus cum Valeriano, Chromatio, Jovino, Eusebio, Juliano, Nicæa, Chrysogono, Ruffino, atque aliis, quæ et supra recensuimus exempla. Per idem tempus, sive etiam, si mavis, in itinere ad Gallias, Concordiæ, quod est Aquileiæ, (non, ut Victorius putat, aliud Mirandulæ vicinum oppidum) senem Paulum cognovit atque amicum sibi junxit, annos habentem centum, et qui S. Cypriani Notarium Romæ tractaverat. Sunt etiam qui eum tradunt, inter Monachos Aquileienses, sive qui sub Valeriano Episcopo ad Monachorum instar vitam debebant, nomen profiteri suum voluisse. Sed neque hoc certo aliquo testimonio constat, neque ex eo loco licet colligere, quem in eam rem laudant ex Epist. LXXXII. ad Teophilum, ubi se ait S. Pater, *Ab adolescentia in Monasterii clausum cellulis magis esse*

vulnise aliquid quam videri. Omnino enim de Syriæ solitudine, quam adolescens adhuc inivit, non de Aquileiensi Monasterio est intelligendus. Falluntur autem eo magis, ac vitæ Hieronymianæ seriem invertunt, qui eum volunt e Galliis primum Romam, deinde Roma Aquileiam concessisse. Quod quidem comminiscuntur, ut hypothesi suæ inserviant, et Baptismum S. Patris, quem certe non alibi suscepisse eum sentiunt, quam Romæ, in hoc tempus transferant. At nullum est in Hieronymi scriptis, totaque ejus historia, quo id probent argumentum; et quod unum excudunt ex Epist. XLIII ad Marcellam, ubi se ille significat invitum Romæ in tanta civium et peregrinorum frequentia versari, ac porro malle se alio transferre, illud, inquam, nihil ad rem facit. Data quippe est Epistola illa post multo, quam illi existimant, sive eum relicta Calcidis solitudine, Romam venisset, et jamdiu ibi apud Damasum agens, junxisset et cum Marcella amicitiam; quæ anni circiter 385 nota est. Nihil porro minus ex ejus contextu colligas, eum in animo habuisse, quam Aquileiam, qui quantum haberet Roma molestarum exaggerans, non tam Marcellam, quam semetipsum delhortatur ab urbium tumultibus, et ad secreta ruris invitat. Addo, nec verosimile prorsus esse ob regionum situm, atque institutum Hieronymianæ peregrinationis, venisse eum de Galliis Romam, ut se postmodum in patria, sive Aquileiæ reciperet. Alia ex parte jam ostendimus superiore Capite III. eum antea, cum primo scilicet Romæ daret litteris operam, Baptismum suscepisse, ut et causa cur eo regrederetur, plane conficta sit, totaque illa hominum cætera doctissimorum narratio commentum sapiat. Venit itaque S. Pater de Galliis recta Stridonem, pleramque autem temporis partem Aquileiæ, iis quas dicebamus de causis, commoratus est.

II. Quin etiam scriptionum suarum videtur ibi initia auspicatus narratione illa, *de muliere septies percussa*, quam Innocentio inscripsit, et cui primum nos in Epistolarum serie, quem et in reliquis ejus scriptis habet, locum adtribuimus. Innocentius ille idem est, qui paulo post migranti in Orientem Hieronymo se comitem dedit: neque enim cognomines alios eidemque amicissimos, ut nonnulli faciunt, comminisci licet. Tempus quod spectat, in Chronologicis ad eam Epistolam notis, quas heic repetere longum esset, et præter rem, videre est argumenta, quibus eam huic temporis tractui, sive anno 371, adscribere persuasi sumus. Nunc velimus, anno adhuc serius differri, sive post damnatum Evagrii opera Auxentium in Romana Synodo anni 372. Cæterum nec probabilitate sua carent aliorum rationes, qui serius adhuc eam protrahunt, sive ad annum usque 374, cum post longam in Oriente peregrinationem S. Pater Antiochiæ diversaretur. Potissimum autem argumentum, quod ab Auxentii morte repetunt, ubi dicitur *Evagrii excubiis sepultus pene antequam mortuus*, non eandem apud nos viam habet. Nam mortuum revera indicari verbis illis contem-

dunt: nos sepultum quidem μεταφορικῶς dici, cum anathemate percussus est, intelligimus: mortuum, non ita.

CAPUT VI.

I. *Aquileiæ varias inimicitias incurrit. II. Inde subito divulsus in Orientem navigat.*

I. Perquam libenter degisset Hieronymus Aquileiæ, fortasse etiam propositum Deo perfectius serviendi, cujus miro ardore tenebatur, in eo quod ibi erat Monasterio explesset, nisi eum *subitus turbo*, ut ipse ait, *impiaque avulsio* distraxisset. Quid istuc rei fuerit, ignoratur: sed plura videntur ad creandam illi invidiam concurrisse. Sororis nescio quis lapsus magnum illi odium concitavit. Inde ortum fortasse dissidium etiam cum Lupicino, Sacerdote Stridonensi, quem acriter sugillat Epist. VII. *dignum vocans patella operculum, videlicet, ut cæcus cæcos duceret in foveam, talisque esset rector, quales illi qui regerentur*. Sunt etiam qui eum notari putent sub nomine *Iberæ exceltræ*, a qua sese queritur præcedenti Epistola S. Pater *sinistro ore dilaniatum*. Sed et Castorianæ materis inimicitias incurrit, quas postea lenire humanissimis litteris conatus est.

II. Alia tunc ejusmodi diaboli arte, ut ipse innuit, gigni potuere dissidia, quibus cum æquo animo sustinendis par non esset, derepente patriæ, parentibus, cognatis, amicisque vale dicere, et atque in Orientem transire constituit, ut longius ab inimicorum odiis, regionem solitarii proposito, tum locorum sanctitate, cum habitantium Monachorum vicinia magis opportunitatem inveniret. Hoc nos iter ad an. 372 referimus, nec falli rationibus subducendis videmur nobis. Sed quia impedita res est, multaque Hieronymianæ Vitæ momenta ex ea temporis notatione pendent, propriis ipsa est argumentis munienda. Et citius quidem illud referre, tota rerum, quas hactenus edisseruimus, series vetat. Ut serius autem putemus, multo magis vetat illud quod ex Ruffini peregrinatione argumentum desumitur. Ante eum enim vitæ se dedisse Hieronymum, palam est omnibus, atque ipse luculentissimus testis est sæpius laudato loco Epist. III. *Postquam me a tuo laterè subitus turbo convulsit*, etc. Hoc autem ipso anno 373, puta post aliquot a Hieronymo menses, Ruffinum Aquileiense monasterium deseruisse, ut in Ægyptum cum Sancta Melanio transmittere, compertum ex ejusmet verbis, quibus ad Anastasium Pontificem scribens anno 400 vel insequentem, se ait, *post triginta fere annos parentibus redditum. Fere, inquit, ut non solidos triginta dicere eum putes, sed potius ab ea formula et rotundo numero intelligas satis esse, si vigesimus nonus vix demum incepisset*. Porro totidem a 372 ad 401 numerantur. Nec sane locus est isto ad Hieronymiani æque atque Ruffiniani itineris tempus probe constituendum luculentior. Nihilosecius erunt fortasse qui ex eodem conclusum ibunt, in annum sequentem, sive 373, debere iter differri, et quos memorat Ruffinus annos triginta, ex quo parentum consuetudine

caruisset, non ab eo tempore, quo in Ægyptum navigavit, sed triennio ferme antea, ab eo quo Toram natale oppidum deseruit, et Aquileiæ sese recepit, supputari velint. Quod etsi a veri specie abhorreat (erat enim *Tora*, sive *Tyra*, aut *Tura* oppidulum Aquileiæ perquam vicinum, ut a suis abesse Ruffinus, cum esset Aquileiæ, non videretur: revera etiam cum se parentibus redditum dicit, Hieronymo teste, initio alterius contra eum libri, Aquileiæ habitaret), sunt tamen alia in eam rem, sive pro anno 373 quæ nobis videmus opponi posse, et quibus nostrarum sit partium satisfecisse. Primo Evagrius, cujus adeo frequens in Hieronymi litteris mentio est, eidem fuisse itineris socius videtur. Is autem, qui cum S. Eusebio Vercellensi ex Oriente in Occidentem venerat, ut gravissimis Ecclesiarum negotiis suppetias ferret, post damnatum sua cumprimis opera Auxentium, nonnisi anno 373 in Orientem creditur remigrasse. Certe antequam Antiochiam perveniret, transiens per Cappadociam, quædam cum S. Basilio contulit, quæ ab hoc in Epist. VIII. scripta post Autumnum dicti anni 373 referantur. Qui igitur Evagrium comitatus videtur Hieronymus, non ante eum annum viæ se dederit. Deinde nec ipse citius iter arripuerit Ruffinus, quem hoc ipso anno 373 ante S. Athanasii obitum Alexandriæ fuisse, compertum atque indubium est. Idem Hieronymiana ad eum Epistola tertia declarat, quæ cum data sit, ut suo loco pluribus ostendemus, æstate anni 374, tunc primum tamen acceptum de illius in Ægyptum adventu nuntium, inopinati sibi gaudii causam exstitisse significat. Nec sane videtur verosimile, si biennio ante in eas regiones Ruffinus transmiserat, tam sero fuisse ad amicum Hieronymum perlatum id nuntii.

His ut satisfaciamus, primo Evagrium dicimus, inter primos quidem fuisse Hieronymi amicos, minime vero itineris ejus socium. Certe nihil est ex omnium Hieronymianarum historia, quo ad id credendum adducamur. Quæ adeo multa de ejus laudibus prædicat S. Pater, nonnisi familiaris ejus consuetudinibus, maxime cum Antiochiæ pariter essent, testimonia sunt, ne illo quidem excepto loco Epistolæ III. dudum laudatæ, ubi Innocentium, suæ utique comitem peregrinationis, cum illo comparat, tanquam oculum cum oculo, atque isto inopinata morte subtracto, *Nunc, inquit, uno et toto mihi lumine Evagrio nostro fruor.* Ut vero etiam demus socium itineris eum fuisse, non certe fuerit, cum primum Aquileia Hieronymus solvit: sed forte illi provincias jamdudum varias circumcunt, Cappadociæ occurrit, ac reliquum itineris Syriam versus cum eo perfecit. Alterum quod opponitur ex Ruffini discessu argumentum, leviori negotio expeditur; neque enim ille recta in Ægyptum contendit, sed Jerosolymam primo invisit, et loca Sancta, quibus ea qua par est religione perlustrandis, maxime vero tanto terrarum, ac maris emetiendo spatio, haud certe nimium videri debet temporis intervallum, quod ab anni 372, ut par credere est postremis mensibus, ad subsequens

373 Martium, aut Aprilem intercedit: quo tempore antequam Athanasias diem obiret, Alexandriæ fuit. Falsum porro est, nuntium de ejus in Ægypto mora solum circa insequens anni 374 medium Hieronymum accepisse. Facile enim multo antea ab Heliodoro sui itineris socio, qui Jerosolymam perrexerat, audiit, cum Alexandriam regressus est. Confirmavit paulo post, et superiore tamen anno 373 eundem nuntium Alexandrinus Monachus missus ad Confessores, quos statim ab Athanasii morte in Ægypto exulare Valens Imperator jussit. Sed his aliisque subinde nuntiis non acquiescebat S. Pater, donec crebræ eo commætantium multitudini, idque certioribus testimoniiis referenti, tandem anno 374 fidem adhibuit. Testatur hæc omnia per partes ipsemet Epistola illa III. ad Ruffinum, ex qua describere hæc pauca libet. *Prima inopinati gaudii ab Heliodoro fratre mihi est nuntiata felicitas. Non credebam certum, quod certum esse cupiebam, præsertim cum et ille ab alio as audisse diceret, et rei novitas fidem sermonis auferret. Rursum suspensa vota, nutantemque mentem quidam Alexandrinus Monachus, qui ad Ægyptios Confessores, et voluntate jam Martyres pro plebis jamdudum fuerat transmissus obsequio, manifestus ad credulitatem nuntii auctor impulerat. Fateor et in hoc meam labasse sententiam. Nam cum et patriam tuam ignoraret et nomen, in eo tamen plus videbatur asserere, quod eadem assererat, quæ jam alius indicaverat. Tandem plenum veritatis pondus erupit, Ruffinum enim Nitriæ esse, et ad beatum perrexisse Macharium, crebra commætantium multitudo referebat. Illic vero tota credulitatis frenata laxavi, etc.* Nihil itaque impediunt, ne anno 372 Hieronymi in Orientem iter assignemus, quæ maxime obstare videbantur.

CAPUT VII.

I. *Iter S. Patris describitur.* II. *An Jerosolymam tunc adierit?* III. *Antiochiæ substituit.*

I. Per Illyricum terrestre iter arripuisse Hieronymum nonnulli persuasum habent, atque Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappadociam, ac tandem Syriam circuisse. Nobis hæc minime verosimilis sententia videtur: quin ipse etiam videtur S. Pater satis aperte indicare se, statim ab Aquileiensi littore mare ingressum, navi in Thraciam appulisse, et primo quidem æstum maris passum. Demus ejusmet verba, quæ rem totam mirifice explicant ex toties laudata Epistola III. ad Ruffinum. *Postquam me, inquit, a tuo latere subitus turbo convulsit: postquam glutino caritatis hærentem impia distraxit avulsio,*

*Tunc mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
... tunc maria undique et undique Cælum.*

Tandem in incerto peregrinationis erranti, cum me Thracia, Pontus, atque Bithynia, totumque Galatiæ, et Cappadociæ iter, et fervido Cilicum terra fregisset æstu, Syria mihi velut fidissimus naufrago portus oc-

currit. Alibi etiam regionum præter istas, atque urbium per quas transierit, mentionem facit, ut in Zachariæ cap. XII. ubi Athenis se prodit fuisse; *In arce*, inquit, *Atheniensium, juxta simulacrum Minervæ, vidi Spheram æneam gravissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corporis movere vix potui*, etc. Et in Proœmio secundi libri Commentariorum ad Galatas, *Scit*, inquit, *necum qui vidit Anchiram metropolim Galatiæ civitatem, quot nunc usque schismatibus dilacerata sit, quot dogmatum varietatibus constuprata*. Alia id genus alibi rimatus est. Et Tarsi in Cilicia aliquandiu eum mansisse, colligere est ex Epist. CXXI. ad Algacium Quæst. II. ubi Cilicium linguæ proprietates, quibus Paulus Apostolus in Epistolis suis usus sit, optime se prodit novisse. Ita et Theodosium, qui creditur monasterium constituisse apud Rhossam in Cilicia ad maris oram, convenisse, ejusque ut et cæterorum sub eo Anachoretarum mores fuisse perscrutatum, ac similis vitæ amore incensum, ex II. Epistola, quæ ad eum data est, liquet. Nimirum quæcumque insigniora viderentur, oculis usurpare voluit, maxime Monachorum cæptis celebriores, quorum præsertim instituta noscendi atque imitandi causa, peregrinabatur. Viæ comites perpetuos habebat, præter Innocentium, atque Heliodorum, quos supra memoravimus, Nicæam quoque Hypodiconum Aquileiæ, et Hylam, *Sanctæ Melanii famulum, qui puritate morum maculam servitutis abluerat* (Epist. III). Bonosus, quo cum ab infantia educatus, et *honestis sæculi artibus eruditus* fuit, quique eum fuerat in Galliarum peregrinatione comitatus, solitudinem jam petierat in insula quadam, Dalmatia: ut videtur, pelago circumsonante, naufraga, et in qua nihil non terrori esset.

II. Num Jerosolymam hoc primo in Orientem itinere adierit, disputatum inter eruditos. Atque ipse quidem S. Pater Epistola XXII. ad Eustochium scribens, se testatur eo consilio a suis discessisse, ut *Jerosolymam militaturus pergeret*. In Epistola quoque XLV. ad Asellam, cum Romæ esset, orare eam jubet, ut *de Babylone Jerosolymam regredi* aliquando sibi liceat: quibus verbis se fuisse pridem Jerosolimæ, indicio est. Item in Præfatione ad Didymi de Spiritu Sancto librum, quem Latine de Græco vertit, se ait, *de Babylone*, id est Roma, *et post Romuli Casam, et ludærum Lupercalia, diversorium Mariæ, et Salvatoris speluncam expexisse*. Accedit, Baronium, Victorium, atque alios magni nominis viros in ea esse sententia, ut bis Jerosolymam venisse eum velint: et semel quidem hac prima in Orientem peregrinatione, antequam Calcidis eremum ingrederetur: de altero enim adventu, cum scilicet Roma post Damasi mortem discessit, nemo est qui dubitet. Verum quidquid aliis valeatur, eum somel modo, neque hoc quidem itinere, de quo agimus, sed altero diu post in Orientem instituto, Jerosolymam perrexisse, luculentiora ejusmet S. Auctoris testimonia persuadent. Enimvero si eo tunc accessisset, qui fieri potuit, ut exantlantis

jam peregrinationis ejus incommodis, Antiochiæ degens, atque hinc scribens sæpius laudatam ad Rufinum Epistolam, inter multa, quæ de suis itineribus eidem per partes narrat, hoc unum quod erat cæteris præstantius omnibus, præteriret. Sanctam civitatem, in qua dudum fuisse amicum suum intellexerat, ne arrepta hinc quidem occasione nominaret! Prætermisit, quia nondum inviserat. Et sane lib. III. contra eundem Rufinum de secunda in Orientis partibus peregrinatione sua loquens, ita se Loca Sancta invisisse profitetur, ac si antea solum de illis fando aliquid audierit, viderit autem nihil. *Intravi*, inquit, *Jerosolymam, vidi multa miracula, et quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi*. Non est, si quid video, quod huic argumento reponi possit. Adductis autem superius in contrariam partem facilis responsio est. Et primo quidem, eo revera consilio atque animo S. Doctorem in Orientem migrasse, ut Jerosolymam inviseret, sicut aliis postmodum de causis in Syriam deductum, atque Antiochiam, propositum nutasse, aut in aliud tempus distulisse. Inuit hoc item ipse, cum jam Calcidis eremum ingressus, ex eaque scribens Epistolam V. ad Florentium, prodit, lectis ejusdem litteris, sibi *reaccensum fuisse animum Jerosolymam proficiscendi*. Ex eo certe nulla causa est, cur in illa ad Eustochium Epistola quidquam immutemus, ut visum est Tillemontio, qui censuit pro *Jerosolymam* legendum ibi *Antiochiam* aut *Orientem* esse. Reliqua duo loca movent nos multo minus ac fere nihil. Cum enim exploratum sit, eum ibi *μεταφορικῶς* Romam vocare Babylonem, res ipsa jubet, ut, quam illi opponit, Jerosolymam eodem sensu accipiamus pro solitudinis et quietis loco, ut se iterum significet, a tumultibus urbium et sæculi ad solitariam vitam transisse. Adeo neque eorum opinioni assentimur, qui negant hoc quidem tempore antequam in Calcide se reciperet S. Pater, Jerosolymam concessisse: concessisse autem, idque primo, volunt, postquam e Calcidis eremo exivit, circa annum 378, antequam Romanam reverteretur. Enimvero probant quæ hactenus disputata sunt, eum non nisi multo post illo se transtulisse, cum Roma iterum discessit post mortem Damasi, reliquum vitæ in Locis Sanctis et Bethleem specu transacturus.

III. Tunc itaque non videtur ulterius quam Antiochiam usque profectus: qua in urbe apud Evagrium, cui erat cumprimis carus, aliquandiu subsistere, ut mox dicemus, coactus est cum aliis de causis, tum quod non amplius sufficerent sibi attenuati tam longo itinere corporis vires, et ægra valetudine uti jam cœpisset. Cæterum nihil nobis ex omni peregrinatione illa tam mirum est, quam quod, cum posset æquo animo, quemadmodum de se ipse testatur, *carere patria, domo, parentibus, sorore, cognatis, consuetudine lautioris cibi* (Epist. XXII), aliisque omnibus vitæ commodis, unam Bibliothecam, lectissimis libris instructam, quam sibi summo labore atque impendio Romæ confecerat, secum tulit, quod ea *omnino carere*

non poterat. Tantis in eo erat litterarum, atque eruditionis amor.

CAPUT VIII.

I. *Antiochiæ hospitatur, ubi de ineunda solitudine secum agit.* II. *Scribit ea super re ad amicos Epistolas.* III. *Apollinarium Laodicenum audit, ab ejusque hæresi cavet.* IV. *Maroniæ diversatus historiam de Malcho monacho ab ejusdem ore excipit.*

I. Ad finem vergebat annus trecentessimus septuagesimus tertius, si rationes recte instituiamus, cum Antiochiam venit Hieronymus, qui etiam ultra subsequentis anni medium ibi apud Evagrium hospitatus est. Moræ causam fuisse cum primis inuimus aduersam, in quam inciderat, valetudinem; ait enim de se ipse, quod *semper infirmus* Evagrio amico ad laborem cumulus accessisset, fuisset vero, *quidquid morborum esse poterat expertus*. Accessere his aliæ cum duriore fortuna conflictationes; de quatuor enim peregrinationis suæ sociis, Innocentium atque Hylam subita unum post alium mors rapuit; illum *repentinus febrium ardor abstraxit*; hic *nedum obductam illius morte, morte sua rescidit cicatricem*. Heliodorus, cumque eo fortasse etiam Nicæas, Jerusalemam jam dudum iverant; nec brevi inde reversi Antiochiam, Hieronymo suo diutius adfuerunt, sed in patriam regressum hic una, ille alia de causa, meditabantur. Et sane jus æquum Heliodorus obtendebat, qui de cognati morte inopinato nuntio admonitus, veluti sororis viduæ, ac nepotis ex ea parvuli, Nepotiani nomine, rebus domesticis prospecturus, patriam repetere cogeretur. Nec tamen arripiendæ solitudinis propositum prorsus abjiciebat, quin potius abs Hieronymo postulabat, *ut posteaquam ad desertum migrasset, invitatoria ad se scripta transmitteret*: id quod factum paulo post, dicemus suo loco.

II. Interim cum in dies magis, magisque S. Pater solitudinis adeundæ studio flagraret, nihilque aliud animo secum versaret, scripsit ea de re ad Theodosium, eum quem paulo superius diximus, et memorat Theodoretus de Vitis Patrum cap. X. Præpositum Monasterii apud Rhossum in Cilicia, et quem, per eam ipse provinciam transiens, paulo ante invisisse indicat. Unde colligas, errare eos qui Theodosium hunc alium putant, qui Calcidis desertum incoleret; nondum enim cum hæc scriberet, Hieronymus eo accesserat. Orat autem illum, ac cæteros cum illo Anachoretas, a Deo impetrent, ut suum hocce propositum Deo perfectius serviendi exsequi demum velit ac possit. Secundum in nostra Recensione locum Epistola illa obtinet. Duas autem alias per idem tempus quo substitit Antiochiæ, scripsit, alteram ad Ruffinum, ad Florentinum alteram, quæ et sese in Editione eadem nostra sub numeris tertio et quarto consequuntur. Quid contineant, quibusque de causis hæc eas referamus, replicare, instituti nostri non videtur, maxime cum in Chronologicis ad eas Notis sint istæc satis abunde pertractata. Tan-

tum monemus pro anno 374, cui illas adscribimus, alicubi typhotetarum errore notarum anno 373, quod vitium ad decimam quartam usque Epistolam in aliquot exemplaribus durat: nos sedulo emendari cupimus.

III. Ad Vitæ seriem ut redeamus, non ita apud Evagrium moratus continuo est S. Pater, ut nunquam Antiochia excederet: quin potius sacrarum studio Literarum incensus, cum, ut alibi de se testatur, haud quaquam ingenii sui viribus confideret, seque ipse docere vellet, sed a doctis atque illustribus viris addiscendas putaret, Apollinarium Laodicenum Episcopum (quæ urbs ab Antiochia parum distabat) interpretem Scripturarum longe celeberrimum frequenter adit, inque ejus disciplinam se dedit. Rem narrat ipse Epist. ad Pammachium et Oceanum LXXXIV. ubi et se multum illi debere profitetur, quod in Scripturarum doctrina, quam antea vix de limine salutaverat, exoticorum lectioni Auctorum adsuetus, haud sane parum profecerit. Id vero mirum magis, quod addit, *nunquam se illius contentiosum super sensu dogma suscepisse*: id est, hæreticum illud ejus placitum de Platonicorum cœnosis fontibus derivatum (quod sit quædam substantia anima separabilis, unde hominem, quem Dominus assumpserat, ea parte qua rationalis est, mutilatum ibat, ejusque munia in Verbum conferebat, ut Christus unus ex hallucinatione sua diceretur) nunquam excepit, nec fucum fieri sibi passus est. Ex quo illud etiam confirmatur, quod diximus, per id temporis Laodicenum magistrum abs Hieronymo auditum fuisse: ille enim cum diutius venenatum dogma dolose dissimulasset, anno demum 376 in apertam hæresim erupit. Nec sane veri speciem ullam habet, fuisse nostrum præceptore usum hominem, qui palam scita Ecclesiæ Platonicis sophismatis depravaret, fuissetque jam manifesta inustus hæreseos nota.

IV. Sed et alio interdum divertit per id temporis S. Pater. Maronia, triginta fere millibus Antiochia distans viculus, post multos dominos vel patronos in Evagrii Presbyteri possessionem venerat. Huc Hieronymus pro familiaritate, quam cum Evagrio habebat, aliquandiu venit, ac diversatus est: antequam certe in eremum secederet, ut pleraque omnia nobis argumento sunt. Erat quidam ibi senex magni nominis Malchus, quem S. Pater invisit, deque ejus ore excipere voluit ipsius vitæ historiam, quam postea, ante annum 392, ut suo loco exponemus, ex ejus dictorum fide, literis commendavit.

CAPUT IX.

I. *In Calcidis eremum se recipit, ac penitentis devotet.* II. *Hebraicæ linguæ ad carnem magis edmandam, studio se mancipat.* III. *Num etiam Cræcum tunc edidicerit?* IV. *Per somnium admonitus profanis Scripturis nuntium remittit.*

I. Demum ad quam omni studio rapiebatur, trans-

ijt Hieronymus solitudinem : quod factum sub hujusce anni 374 finem, vel subsequentis initio, ex his quæ hactenus disputata sunt, liquet. Ut autem id planius hoc loco, ac propemodum evidenti argumento teneas, rationes ita subducito. Annus agebatur 374, mediamque ætatem attigerat, cum accepto de Ruffini adventu in Palæstinam nuntio, dedit S. Pater ad eum Epistolam, quam, ut tutius redderetur, alteri ad Florentium copulavit. Erat vero tunc ipse adhuc Antiochiæ, sive nondum in eremum secesserat, quod ex utriusque contextu Epistolæ planum est. Eo autem se nuper receperat, cum responsu a Florentio accepit, quod sibi ait redditum, *In ea eremi parte commoranti, quæ juxta Syriam Saracenis jungitur : et cum arreptæ solitudinis terminis arceretur. Igitur, nisi longius, quam par credere est, temporis spatium his Florentii ad Hieronymum litteris tribuamus, palam sit, hunc sub finem hujusce anni 374, vel, ut summum, initio subsequentis in eremum sese recepisse. Atque hæc, ne quid sit de temporis nota dubium.*

Ipsam solitudinem quod spectat, posita illa erat in Calcide Syriæ, hoc est, ubi Syri ab Agarenis barbaris disternantur, vasto quaquaversus spatio terræ, quæ cæcisa solis ardoribus, horridum Monachis præstabat habitaculum. Sedebat solus ibi S. adolescens, *scorpionum tantum socius et ferarum, qui ob gehennæ metum tali se carcere ipse damnaverat. Horrebant sacco membra deformia, et squallida cutis situm Æthiopicæ carnis obduzerat. Quotidie lacrymæ, quotidie genitus : et si quando repugnantem somnum imminens oppressisset, nuda humo ossa vix hærentia collidebat. Pallebant ora jejunii, et cætera, quæ tute repetas ex illa, unde hæc translata sunt, Epistol. XXII. ad Eustochium. Ad hæc sæpe sæpius ac fere continenter tentabatur valetudine, et stomacho laborabat. Et vini tamen, olei, aliorumque ciborum, quibus reficiuntur vires, et ad laborem ferendum recreantur homines, abstinentissimus, etiam cum langueret, frigida utebatur aqua, et coctum aliquid accepisse, luxuriam reputabat. Videtur etiam laboribus manuum partem dici aliquam tribuisse, exscribendis scilicet libris : inquam rem, *habere se alumnos, qui Antiquariæ arti serviant* (quo nomine Amanuenses indicari, non est qui ignoret) Epist. V. ad Florentium prodidit. Cæterum vitam omnem ita orationem inter ac lectionem partebatur; ut cum *mutis* atque optimis *sacræ Bibliothecæ codicibus* abundaret, lectio orationem exiperet, oratio lectionem sustentaret.*

II. Ad Scripturarum maxime intelligentiam, divinarumque rerum pervestigationem animum adjecerat, in eoque se studio quòdianis exercitationibus, supra quam dici queat, diligentissime subigebat. Sed cum operam suam absque Hebraicæ linguæ notitia minus utiliter consumi intelligeret, vellet etiam ad compescendos in dies magis carnis motus, novo aliquo tormento uti, huic se studio, sive ut vocat ipse, pistrino addixit. Facti historiam narrat ipse Epist. CXXV. ad Rusticum. *Dum essem, inquit, juvenis, et solitudi-*

nis me deserta vallarent, incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram : quem cum crebris jejunii frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat : ad quam edomandam cuidam Fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluviolos, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii, alphabetum discerem, et stridentia anhelantique verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quotiesque cessaverim, et contentione discendi, rursus inceperim, testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam; et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus carpo. Atque huc etiam spectare videtur illud, quod Cap. III. Libri de Viris Illustribus narrat, Hebraicum scilicet, ut ferebatur, Matthæi exemplar, cum facta sibi facultas fuisset a Nazarenis, qui in Bercæa urbe Syriæ eo volumine utebantur, se descripsisse. Processu temporis cum ejus studii utilitatem experimento jam didicisset, assidua exercitatione excoluit, aliosque magistros, per quos profecerit, aliis in locis nominat. *Quo labore, inquit Epistol. LXXXIV. quo pretio Baraninam nocturnum habui præceptorem ! Timebat enim Judæos, et mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Hic idem ille videtur esse, quem et Commentario in caput III. Epistol. ad Galatas suum Hebræum vocat, et ex quo nonnullas sententias recitat : quamquam alii, quos inter Morinus, fuisse illum ex Hebræo Christianum, contendunt. Denique et cum Librum Paralipomenon juxta Septuaginta emendandum ex Hebræo archetypo, et Latine interpretandum suscepit, alium ejus linguæ magistrum consuluit, ut in Præfatione testatur : *De Tyberide, inquit, Legis quondam doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi, et contuli cum eo a vertice, ut aiunt, usque ad extremum unguem.* Sed hæc alio spectant.

III. Sunt qui enim Græcæ etiam linguæ primum in Calcidis solitudine, contendant dedisse operam. idque ex Ruffini auctoritate inferant, qui illum testatur, *antequam converteretur, pariter et litteras Græcas, et linguam penitus ignorasse.* Sed ut vère, non pruriginè actus detrahendi Ruffinus, id scripserit : voluit conversionis nomine, non ut vulgo intelligunt, initam ab Hieronymo solitudinem, sed susceptum Baptismum significare : quem sensum totus quoque loci ejus contextus præfert. Ex quo illud iterum confirmatur, quod superius suo loco diximus, illum cum Romæ liberalibus studiis erudiretur, non autem serius, ut volunt, Baptismi aquis lotum. Alioquin nihil cum scivisse penitus Græcæ, cum in Orientem peregrinaretur, minime adduci possum, ut credam. Ut autem in dies magis magisque calleret eam linguam, consuetudine illa cum Græcis commode posuit obtinere. Et sane cum Tarsi ageret, ita noverat, ut etiam quæ essent Cilicum linguæ proprietates, quibus in Epistolis suis Paulus usus est, ab reliqua Græcitate internosceret. Ad hæc, cum Antiochiam paulo post venit, Apollinarium, ut diximus, frequenter adiit, atque audivit, non alia certe quam Græca lingua Scripturas exponentem:

cujus adeo præceptionibus inbui minime potuisset, nisi jam probe linguam intellexisset. Jam itaque hoc quoque ornamentum ad reliquas doctrinæ suæ laudes adjecerat, priusquam Calcidis desertum ingrederetur.

IV. Sed est utique aliud quod eo loci, ac fere temporis placet referri, simulque studia litterarum spectat. Illud, inquam, visum aut somnium, quod maxime pervulgatum est, atque ipse pluribus S. Pater Epistola XXII. ad Eustochium narrat. *In media ferme Quadragesima* (puta hujusmet anni 275 aut subsequentis, ut ex rerum licet serie colligere) ardentissima febris correptus, ut exhaustis jam membris, ossibus vix hæreret, et parum abfuerit, quin ageret revera animam (nam exequiæ veluti jam jam morienti parabantur) *subito raptus in spiritu ad tribunal Christi*, quod Ciceronis lectioni vacaret, ab eo qui præsidebat, gravissime jussus est cædi. Cum inter verbera ipse ejulans misericordiam imploraret, et qui adstant, ad Præsidentis genua provoluti precarentur, ut veniam tribueret adolescentiæ, et errorem locum pœnitentiæ commodaret: tanto constrictus articulo, promisit jurjurando, nunquam se impostorem Gentilium litterarum Scriptores lecturam: *Domine*, inquit, *si unquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi*. Addit ad sciendam rei fidem, in hæc se verba sacramenti dimissum, atque experrectum, viventem habuisse scapulas, et plagas sensit post somnum. Itaque nempè illa territus est veri specie, quæ quanta fuerit, nihil erat nisi somnium. Et vero renuntiasset eum penitus ab eo tempore Profanorum lectioni, nemo sibi persuadeat, qui ejusdem opera, quæ postmodum elucubravit, identidem videat eorum testimoniis atque historiis respersa. Quare ipse etiam, cum hac de causa a Ruffino violatæ religionis reus perageretur, falsissime ridet hominis curiositatem, qui noctium ludibria observaret, et quæ quis dormiens somniasset, illa ab vigilante exigeret (*Lib. II. Contr. Ruffin*). Ad eundem modum quod æmulus idem objiciebat de Ciceronis Dialogis, quos majore mercede Fratibus in monte Olivarum describendos locasset, et de Poetis, quos prælegeret pueris, ridet magis quam refellit, ut risu potius quam excusatione dignam criminationem significet. Nihil itaque aliud narratio illa visionis, aut somnii significat, quam, dimissis ab eo tempore Gentilium Scriptorum monumentis, quibus maxime fuerat eousque delectatus, totum se Sacrarum Scriptorum studio, quarum sibi antea sermo incultus sordebat, devovisse, ut jam sæcularis eruditionis minime cupidus, quæ nihilosecius de illorum scriptis proferebat, quemadmodum respondet ipse Ruffino (*Ibidem*), ob memoriam eorum proferret, quæ pridem legerat, omnino autem ea faceret ad ancillarum instar rerum divinarum expositioni inservire. Nulli autem commodius, quam huic tempestati posse diximus abdicationem illam ab Ethnicis, transitumque ad Ecclesiasticas litteras adscribi.

CAPUT X.

I. *Scribit Vitam Sancti Pauli Eremitæ. II. Epistolas quoque ad diversas. III. Et Exhortatorium ad Heliodorum.*

I. Solitudine vixdum arrepta, nihil proposito suo consentaneum magis Hieronymus existimavit, quam insignioribus ejus Vitæ exemplis incitare animum ad imitandum. Fecit itaque initium ab enarranda Sancti Pauli Vita, a quo primum eremus habitari cœpta est, quique ejus instituti jure meritoque auctor longe insignissimus habetur. Et primum quidem locum inter descriptiones suas omnes huic tribuit in suorum Catalogo operum, in quo concinnando rationem temporis habuisse, nihil mihi dubium est: quin etiam anteponebat Epistolæ ad Heliodorum, quam sub initium solitudinis datam liquet, et libello Epistolarum ad varios, de quo mox dicemus. Adeo compertum hinc est, errare eos, qui illam existimant scriptam aliquanto postquam ex Syriæ eremo S. Auctor exisset. Falsa nempè lectione ejus loci decepti sunt, quam nos pridem ope codicum præstantissimorum emendavimus, ubi pro *vidisse me, et vixit, et sustentabatur*, in instanti rescripsimus, *videre, vivit et sustentatur*. Ejus meminit S. Pater etiam in Chronico ad annum 49 Constantii, ubi se ait *Pauli Thebæi exitum brevi libello explicasse*: nosque iterum mentionem faciemus paulo post, cum Epistolam ad Paulum Concordiensem recensebimus.

II. Interim cum Heliodorus Aquileiam rediisset, deque Hieronymi rebus, ac sancto proposito certiores amicos fecisset, dedere isti ad eum litteras: et cum primis Chromatius atque Eusebius frater una cum Jovino amico, qui et de illius sorore nonnulla retulere, quæ tamen ipse aliquanto antea ab Juliano Diacono Aquileiense resciverat. Hæc litteræ Antiochiam perlatae. Evagrii diligentia, Hieronymo jam in solitudine degenti transmissæ sunt. Is ergo Juliano primum, qui prior de sorore ad meliorem frugem reversa scripserat, dedit Epistolam in nostra recensione VI. enixe rogans ut eandem quibus potest rebus adjuvet, sequæ de communi in Christo gloria crebris reddat sermonibus lætiorem. Tum ad Chromatium, Jovinum, atque Eusebium scribens Epistolam VII. Bonosi, de quo ipsi etiam scripserant, laudes admiscet, itemque sororem suam, quæ bonos in patria magistros non haberet, illis commendat. His adjecisse videtur VIII. ad Nicæam Hypodiam Aquileiensem veterem sodalem, ac peregrinationis suæ comitem, jam in patriam regressum (*Tu, enim inquit, modo a nobis abiens, etc.*) eumque ut ad se aliquando scribat, exemplo Chromatii, atque Eusebii fratrum, hortatur. Ex quo colligas, hanc post acceptas ab illis literas perscripsisse; perscripsisse autem eadem occasione, qua illis respondit. Eodem tempore dedit et IX. ad Chrysogonum Monachum Aquileiensem, quem similiter ad scribendum ad se excitat: et X. ad Paulum senem Concordiæ (quod est, ut alias diximus, et ne quid adlium cum Victorio putes, Aquileiam inter, atque Altinum

non ignobile Italiæ oppidum) ad quem interea adornatam abs se recens Vitam Sancti Pauli Eremitæ, quam modo recensuimus, dono mittit. Quæ subsequuntur tres, ad Virgines Æmonenses, ad Antonium, et ad Castorinam eodem fortasse anno, sed alia tamen occasione, et aliquanto post superiores datæ videri possunt. Dederat quippe illis antea plures alias, quibus respondere cum neglexissent, valde queritur, rursumque his, ut demum rescribant, hortatur. Duas priores quod spectat, notatus primum nobis vetus ille, et qui haecenus invaluit apud Editores, ac Vitæ Hieronymianæ Scriptores omnes, cavendus est error. *Hermoneses* enim Virgines istæ, ut et Antonius Monachus *Hermonesis* scribebantur, et persuasum vulgo erat, eos in *Hermom* Palæstinæ montem vitam degisse. Ostendimus autem nos luce meridiana clarius, idque etiam optimæ notæ codicum auctoritate evicimus, rescribendum *Æmonenses*, et nequaquam montem Palæstinæ, in qua nondum versatus fuerat S. Pater, sed urbem dici in Italiæ finibus non ignobilem, *Æmonam*, sive *Hemonam*, antiquis Geographis laudatam, sub Norico Pannoniæ, et quam incoluit ipse aliquandiu, utpote patriæ suæ Stridoni, ut videtur, conterminam. Altera, sive XIII. quæ est ad Castorinam materteram post annum data est a priore alia, quam ad eam scripserat (interdixit autem) ut illud nescio quid quod cum ea habuerat dissidii, componeret, et ad pacem, quam in hac denuo orat, concordiamque invitaret. Visa adeo est postrema ex his quæ supersunt, et quæ *Epistolarum ad diversos libellum*, ut ipse vocat Hieronymus in Catalogo, conficiebant.

III. Succedit his sub peculiari recensione ad *Heliodorum exhortatoria*, quæ omne tulit pietatis atque eruditionis punctum. Videtur etiam fuisse temporis prerogativa nonnullis ex modo recensitis Epistolis præferenda: siquidem statim ab arrepta solitudine scriptam se prodit; sed huc eam referre singularis titulus cogit, atque ordo quem in Catalogo obtinet. Abiens ab Hieronymo Heliodorus, ut paulo superius iunimus, spem illi reliquerat fore, ut postquam rebus domesticis in patria consulisset, in solitudinem, in qua tunc delineri propositi socius non potuit, pedem referret. Quin etiam ipsum rogaverat, ut cum eremum penetrasset, ea super re hortatoriam ad se Epistolam scriberet. Hanc itaque S. Pater Calcidis deserta vixdum ingressus, eloquentissimam adhortationem, quemadmodum discedenti promiserat, ad eum misit: in qua Vitæ eremiticæ beatitudinem prædicans, nihil sibi in eo argumento, vel ex Rhetorica arte, vel ex pietatis cultu, divinisque Litteris reliquum fecit. Tanti profecto facta est, cum Aquileiam atque in publicam lucem venit, ut certatim ab omnibus ejus exempla describerentur, fuerint etiam Romæ, qui eam memoriter didicerint. Ejus nec semel alibi mentionem S. ipse Auctor facit. Heliodorus autem, cum eam accepit, etsi nondum in Clero mereret, ad eum tamen vitæ ordinem vocatus, ut in Syriam rediret, impetrare ab se ipso non potuit: sed Ecclesiæ ministerio devotus, sacrisque postmodum initiatus,

ad Altinensis etiam Episcopi dignitatem per Christianarum, maximeque insignium virtutum gradus processit.

CAPUT XI.

I. *Antiochens Ecclesia trium simul Episcoporum factionibus agitur. II. Quarum unaquæque Hieronymum ad se rapere contendit. III. Ex his Meletiani trium ab illo hypostuseon professionem expostulant. IV. Scribit ille ad Damasum semel, atque iterum ea de re. V. Prioris Epistolæ tempus asseritur et vindicatur. VI. Factiosorum arrogantiam cedere compulsus S. adolescens, de eremo deserenda cogitat. VII. Scribit ad Marcum.*

I. Ea mente Hieronymus sese in ea Syriæ eremo abdidit, ut longe positus a sæculi insidiis, contractas per ætatis incogitantiam sordes imbre lacrymarum vitæque asperitate detergeret. Verum, ut ipse de se testatur (*Epist. XVII*), ita eum *inaccessibilis inimicus post tergum sequutus est, ut majora in solitudine bella jam pateretur, totque factionibus Antiochens Ecclesiæ, sub cujus ditione erat, agitatus, satius duceret inter feras habitare, quam cum talibus Christianis.* Facti historia, ut probe intelligatur, paulo est altius repetenda. Meletius Arianorum opera, sed non sine Catholicorum magna ex parte consensu, e Sebastena sede Antiochenam translatus, cum in primo quem habuit in ista Ecclesia sermone ad populum, adversus Arianorum dogma disputasset, rejectus ab hæreticis est, qui Euzoium in ejus locum sibi Episcopum suffecerunt. Sed et Catholicæ partis homines cum illum scirent olim cum Arianis communicasse, et Arianorum præsertim favore electum, ab ejus se communione separarunt: maxime Eustathiani, sive nobiliorum cœtus Catholicorum, qui nullis post Eustathium ad Meletium usque, Arianis Antiochiæ Episcopis adhæserunt. Huic malo, ut mederetur, Lucifer Caralitanus, magni tunc nominis, atque auctoritatis Episcopus, novum anno 372 Antiochiæ antistitem creavit Paulinum, bono utique consilio, ut schisma sustolleret, sed quod minime e sententia successit. Tunc enim præter Arianorum factionem in duas veluti partes scissa est universa Ecclesia. Oriens ad Meletii communionem se recepit, maxime post Alexandrinam Synodum, quæ repudiatis quidem Arianæ hæreseos auctoribus ac principibus, alios statuit in Catholica communione suscipiendos, qui vel cum Arianis pridem communicassent, vel promoti eorum opera ad Ecclesiasticos gradus fuissent. Occidens atque Ægyptus Paulini partes secuti sunt. Sed non hac sine stetit malum. Apollinarius enim Laodicenus hanc nactus dissidii occasionem, hæresi quam jamdiu occultaverat, in apertum proferendæ opportunam, anno 376 alium submitit Antiochens Ecclesiæ Episcopum, Vitalem quemdam, auditorem suum, qui tradita sibi malesana dogmata Cathedræ auctoritate sustineret.

II. Erant itaque quatuor uno tempore ejusdem Ecclesiæ Episcopi, quorum præcipue tres, Meletius,

Vitalis, et Paulinus Hieronymum (ut ipse ait) ad se quisque rapere festinabant, suas scilicet quisque partes et communionem eum sequi intendebant. Ipse de illorum recta fide anceps, *Si quis*, respondebat, *Cathedræ Petri jungitur, meus est*, Catholicum nempe eum haberi unice existimabat, qui cum Petri successore communicaret, atque illi petræ inniteretur, super quam Ecclesia est ædificata. Quod ut de Paulini communiōne satis sciret: cum reponeret tamen aliarum quoque partium asseclæ, se nihil a Romano Pontifice dissentire (nam ad Damasum scribens, *Meletius*, ait, *Vitalis, Paulinus tibi hæerere se dicunt*) dubius iterum agebatur. *Et possem*, inquebat, *credere si hoc unus assereret. Nunc aut duo mentiuntur, aut omnes*. Et verò tetus in hoc ferme controversiæ cardo vertebatur, cum sibi omnes Damasi communionem arrogarent, quis iure meritoque de tribus id faceret. In eam rem missus est etiam a Gratiano Antiochiam Sapore magister militum, qui partes de prærogativa illa contententes audiret, quemadmodum ex Theodoro discimus. Intereadum S. Pater nemini ex illis adhærebat, *nullumque*, ut ipse ait, *primum, nisi Christum sequens*, uni Damaso, id est, *Cathedræ Petri* animo consociabatur. Atque inde etiam *Sanctum Domini*, sive Eucharistiam, nisi tot interjacentium maris terræque spatii prohiberetur, expetere voluisset. Interim solos iis in locis certissimos Damasi collegas Ægyptios Confessores sequebatur, nequaquam passus alitertra factiosorum communionem se pollui.

III. Sed Meletiani præ cæteris, illum ut in sua raparent, nisi suum inter eos nomen profiteretur, hæresis suspicione ac nota perterrebant, quotidie etiam de fide postulabant. Index ad eam rem, sive potius offendiculum erat nomen *Hypostasis*, quod Græci cum ad *personam* significandam acciperent, tres in Trinitate hypostases dicere non verebantur. Latini autem *substantiam* eo vocabulo intelligentes, tres proferre in Trinitate, ore atque animo refugiebant. Et sanctus tamen Athanasius sive unam sive tres catholico æque sensu dici posse definiverat in Alexandrina Synodo anni 372, quandoquidem qui unam adstruerent, substantiam intelligerent: qui vero tres, personas eo nomine significarent. Verum insanabile quoddam contentiōnis cacoethes ita mentes eruditorum quoque Præsulum pervaserat, ut quod res erat, intueri non sineret. Nodum in scirpo quærebant, ipsumque vocabulum pro utentium conceptu in hærescos calumniam torquebant. Meletiani trium hypostaseon defensores, quia cum Ariani aliquando communionem conjuncti fuerant, hæreticum animum necdum penitus exuisse culpabantur: atque hî vicissim unius assertores Paulini asseclas criminabantur, perinde atque Marcello, ac Sabellio faverent. In eandem itaque suspiciōnem venit Hieronymus, de qua multis in Epistola ad Marcum queritur: *Hæreticus*, inquit, *vocor, homousian prædicans Trinitatem: Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes veras integras perfectasque personas indefesso voce pronuntians*.

Et in prima ad Damasum, *Trium hypostaseon ab Ariatorum prole Campensibus, novellum a me homine Romano nomen exigitur..... Interrogamus quid tres hypostases arbitrentur posse intelligi: tres personas subsistentes, aiunt. Respondemus, nos ita credere: non sufficit sensus, ipsi nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet..... et quia vocabula non edicimus, hæretici judicamur*. Quippe sine illa trium hypostaseon explicatione, ut vocabula profiteretur, nunquam S. adolescens adluci potuit, quod in ea esset sententia, hypostasim proprie substantiam significare, tresque absolute in Deo hypostases dici, citra sacrilegium omnino non posse. *Tota*, inquit, *sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi Usiam novit: et quisquam, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit?*

IV. Confugit ergo S. Pater tantis undequaque angustiis constrictus ad Romanam Ecclesiam, cujus antequam oraculum consulere, sustinendum sibi esse ab omni assensu existimabat. Scripsit, inquam, ad Damasum Epistolam in nostra recensione XV. multis eum precibus obtestans, ut quidnam credendum sibi esset, et cui apud Antiochiam e tribus illis Episcopis communicandum, decerneret. Cujus Epistolæ cum diu multumque responsum frustra expectasset, hæretici autem eo magis divexare illum in dies pergerent, datis iterum ad eundem Pontificem l'iteris, enixius id ipsum quod antea de communionem sua rogat. Et prioris quidem Epistolæ si vera genuinaque lectio illa esset, *ab Ariatorum Præsule et Campensibus*, quam editi quidam libri, doctique viri nonnulli præferunt, cum non alius sit ex Hieronymi sententia Præsul Ariatorum, quam Meletius (hic autem anno demum 378 ab exsilio revocatus, eum potuerit ad trium hypostaseon confessionem præsentem præsens adigere) nihil jam dubium esset, quin ad eundem illum annum, aut insequentem gesta referrentur. Sed nobis potior alia germanaque visa est, *ab Ariatorum prole Campensibus*, quam plerique exhibent melioris notæ mss. libri cum nobis, tum a Benedictino editore inspecti. Congruit quoque nominis significatio, neque enim *Campenses* alia de causa par credere est appellatos, quam quod in Campis sacros cœtus agerent: quemadmodum cum aliis, tum ipsi Hieronymo sub finem Dialogi contra Luciferianos vocati sunt etiam Donatistæ apud Romam, qui cum vetarentur in Urbe consistere, ad sacra peragenda in agris conveiebant. Eodem intellectu Meletii asseclas denotavit, et *prolem* quidem Ariatorum dixit, quod Episcopum, quem Ariani præsertim elegerant, patrem haberent: *Campenses* autem, quod ab Urbis Ecclesiis exturbati, quandiu ille exsulabat, in agris se cogerent, ibique sacris operarentur. Nondum igitur Meletius fuerat per Gratiani decretum Antiochenæ Cathedræ restitutus; tunc enim ille, ejusque communionis socii urbis Ecclesias post liminio receperunt, neque amplius poterant Campensium vocabulo traduci. Elucet hæc eadem notatic temporis, quæ Gratiani legem anni 378 nonnihil an-

cedat, ex eo loco, ubi se ait S. Pater, intereadum Ægyptios Confessores, Damasi collegas sequi. Hi scilicet iidem illi Confessores sunt, quos Epistol. quoque tertia ad Ruffinum laudatos diximus, Ægypti Episcopi, atque sacerdotii gradu *Collegæ* Damasi, quos Valens Imperator in Casarem Palestinæ exulare iusserat. Itaque si ab istis *Sanctum Domini* sumebat, haud certe longe ipse aberat, atque adeo illi adhuc in exsilio agebant. Nam si per Gratiani veniam in Ægyptum jam rediissent, non eos modo Confessores Episcopos, sed universos Ægyptios Catholicos, et cumprimis Alexandrinum ipsum Episcopum Petrum se interim sequi affirmasset. Porro illi redierunt ad suos eadem illa anni 378, Gratiani lege, qua Meletius Antiochenæ Ecclesie restitutus est. Igitur in præcedentem proximè annum 377 incidere concertationes de hypostasi, et quæ tantopere Hieronymum turbæ exagitarunt. In illud propterea tempus conjicienda est prior ejus Epistola ad Damasum, neque enim eam altius evehere, præcedentia gesta, totusque Vitæ Hieronymianæ ordo permittit. Ne autem serius differatur, prohibet illud de Meletii adhuc in exsilio agente, ex quo hactenus argumentati sumus, indicium. Sed utique altera, sive XIII ad eundem Damasum videtur in sequentem an. 378 protrahenda. Et certe quidem tandiu post primam scripta est, quandiu ille responsionem Romani Pontificis satis patienter et p̄t̄usquam una vice præstolatus videri possit. Quin etiam videtur nobis post ipsum Gratiani decretum scripta, sive postquam Saporis Magistri militum iudicio Meletiani Ecclesias recepissent, si recte verborum illorum sensum assequimur: *Hic præsidii fulta mundi Ariana rabies fremit*. Neque enim aliam, quam quæ sibi maxime molesta erat, partem eo nomine S. Pater denotavit: eaque de tribus quæ Ecclesiam scindebant, una Meletianorum erat, quæ trium hypostaseon professionem importune adeo ab ipso exigebat. Ariana autem eo sensu dicitur, ut supra exposuimus, quod Meletius Arianorum præsertim opera Cathedram Antiochenam conscenderit.

V. Doctus vero Pater Constantius, qui in sua Epistolarum Romanorum Pontificum editione, has quoque Hieronymi duas recudit, utramque contendit serius adhuc multo, sive ad annum usque 381 differendam. Palmare argumentum (neque enim ejus consecraria persequi vacat) ex eo sumit, quod Vitalem, post Valentis denique obitum, id est, post annum 378 creatum Antiochiæ Episcopum, videatur libellus Synodicus, apud Labbeum tom. 2. editus persuadere. Sed ut nolimus ejus nunc Libri auctoritatem immitti, non est tamen illa tanti, quæ præferri ullo modo possit Epistolæ Petri Alexandrini, apud Faundum Germanensem scriptæ Episcopis, Presbyteris, atque Diaconis, pro vera fide in exsilio constitutis, ipso videlicet an. 378, cum nempe Valens adhuc in vivis ageret. Ibi autem Petrus de Timotheo loquens, quem Apollinarius Alexandria Episcopum subrogaverat: *Voluit etiam me, inquit, anathematizare, et Basilium Cæsareæ, et Paulinum, et Epiphanium, et*

S. HIERONYMI. I.

Diodorum Episcopos, et cum Vitale communicare. Erat hic igitur Vitalis jamdudum Episcopus ab Apollinario constitutus. Idem confirmat S. Ephrem, qui teste Hieronymo, libro de Viris Illustribus, diem obiit sub Valente, ubi hæreticos Vitalianos in testamento suo nominat, id est, Apollinaristas, quorum doctrinæ Vitalis jam Episcopus nomen, ob dignitatis locum, commodabat. Denique S. Epiphanius cum tertium decimum Valentis annum, qui vulgari 376 respondet, signasset in Panario hæresi sexagesima sexta, subsequenti sexagesima septima, quæ est Apollinaristarum, atque ad eundemmet annum, aut insequentem ad summum pertinet, Vitalem inter eos Episcopum memorat. Non licet itaque ejus ordinationem post obitum Valentis differre, nihilque est, quod ex Auctore Synodici, non usque adeo probatæ fidei homine, doctus Constantius argumentatur: quin potius vulgaris tenenda sententia est, quæ ad annum circiter 376 ordinationem illius refert, et cum serie Epistolarum S. Basilii, itemque rerum, quæ in iis narrantur, apprime quadrat.

VI. Neque porro quidquam est verosimilius, atque historiæ Hieronymianæ consonum magis, quam quod dicebanus, eum ab anno 377 vexari factiosorum turbis, atque expostulationibus cœpisse, nec deinde licuisse illi totum biennium et quod excurrit, per ipsos quieto esse. Hi enim nullo non die urgere, infestare, atque exposcere fidem, ut vere his molestiis velle S. adolescentem le eremo propellere viderentur. *Quotidie, inquit, exposcor fidem, quasi sine fide renatus sim. Confiteor, ut volunt, non placet. Subscribo, non credunt. Unum tantum placet, ut hinc recedam*. Atque eo demum coactus revera est: *Jam, inquit, jam cedo: abruperunt a me partem animæ meæ, carissimos fratres, ecce discedere cupiunt, imo discedunt. Ego ipse, nisi me et corporis imbecillitas, et hyemis retineret asperitas jam modo fugerem. Verumtamen dum vernum tempus adveniat, obsecro ut paucis mihi mensibus eremi concedatur hospitium, aut si hoc tardum videtur, abscedo*. Hæc ille, priusquam abiret, scribenda duxit ad Marcum Presbyterum Theledensem Epistola in nostra recensione XVII. qua non tam illi postulanti de fidei suæ professione, respondit, quam de factiosorum molestiis iniquissimis conquestus est. Acceperat vero jam, cum hæc scriberet, a Damasi literis, quod tantopere expetebat, quo cum sibi esset Antiochiæ communicandum; ait enim, *hæreticum me cum Occidente, hæreticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque condemnent*. Præterea hyemis quam caussatur, asperitas vergentis ad finem anni ejus 378 apertissima nota est; nisi etiam putare malis subsequentis 379 primordia designari. Profecto non erat illa prima anni 378 tempestas, ut nonnemo sibi persuasit: hoc enim ipso anno alteram ad Damasum Epistolam, ut declaratum est, Hieronymus dederat, cujus responsum in ista ad Marcum jam accepisse se indicat. Quod si etiam demus scriptam præcedenti, sive eodemmet anno quo et prima: gestorum tamen series, et quod a priore ad istam, rursusque ab ista

(Deux.)

ad Pontificis Romani responsum intercedit temporis intervallum, putare omnino non sinit, ut quæ in hac ad Marcum hyems denotatur, ejusdem exeuntis anni, vel insequentis 378 ineuntis fuerit. Sin autem serius sive post annum 381 hæc contigisse pertenderis, iisdem facile argumentis dedoceberis, quibus P. Constantii sententia modo a nobis obtrita est. Igitur anni 379 hyems illa erat, ad cuius usque anni vernum tempus in eremo S. Pater videtur constitisse, cum iis quas dicebamus ærumnis conflictatus.

VII. Ad Marcum ipsum quod pertinet, notatum jam pridem nobis, cum in antiquis mss. libris *Presbyterum*, sive *Episcopum Calcedæ*, appellari, pro quo edicti veteres alii *Caledensem* dicunt. Visum propterea multo verosimillimum rescribi juxta alios codices *Teledensem*, a *Teledan* oppido in Calcedis regione, a quo non longe abfuisse Monasterium S. Eusebii, ex Theodoro in Vitis Patrum cap. IV. discimus, et ad ejus loci Presbyterum Marcum facile pertinebat, de Calcedensium fide cognoscere. Sub Epistolæ finem, quod se ait Hieronymus, *S. Cyrillo dedisse conscriptam fidem*, cum jamdiu olim interciderit, quidquid illud scriptionis fuerit, præbuit tamen ansam impostori, ut opusculum hoc titulo, *Explanatio fidei ad Cyrillum*, sub Sancti Doctoris nomine mentiretur, quod nos in ultimum hunc Tonum falso inscriptorum operum rejecimus. Sed et conjecturæ, quæ minime probatur nobis locum fecere verba illa : conjecturæ inquam doctorum hominum, qui S. Cyrillum Jerosolymitanum ibi innui putant, in eamque rem convenire aiunt, quod ille per id temporis ab Episcopali sede pulsus, per Syriæ deserta oberraret. Verum cum aliis ex locis videatur ejus Patris nomini Hieronymus sermo infensus, cujus ordinationem in Chronico paulo post lucubrato acribus verbis sugillat, atque impietatis notat : minime est verosimile, ut suam illi fidei professionem concrederet, et *Sanctum* appellaret. Sed hæc hactenus.

CAPUT XII.

I. *Eremo decedit et Antiochiam rennigrat.* II. *Scribit Dialogum Luciferiani et Orthodoxi.* III. *Presbyter a Paulino ordinatur.* IV. *Tempus ejus ordinationis asseritur.*

I. Meletianis nullum molestiis finem facientibus, par credere est, Hieronymum statim atque per anni tempestatem licuit, vere scilicet, ut promiserat, accedente, ex eremo excessisse, in qua contra ingenii sui, atque loci naturam quieto sibi esse non licuerat. Annus trahebatur Christi 379, ut ex his quæ superiori capite edisseruimus, compertum est : Qui cum ætatis illius trigesimo fere tertio, ab inita Calcedis solitudine quarto, aut quinto ad summum, concurrebat. Erat vero illi adeo infixus alte animo solitudinis ejus amor, totque cum licuit, in ea spiritus dulcedines expertus fuerat, ut quod abire coactus esset, pene mærore conficeretur, et sæpius eum discessisse inde pœniterit. *Ego quidem*, inquit ad Pammachium scribens, *Romæ non eram, et tunc me tenebat Eremus, atque utinam pertinisset.* Egressus autem, seu verius

persecutionibus hæreticorum inde ejectus, Antiochiam repetiit, et apud Evagrium facile divertit, qui ei, ut ante consueverat, omnibus rebus large commo- dabat. Ibi cum Paulino episcopo, Occidentalium exemplum sequutus, maxime autem edoctus Damasi responso, credi potest, si quid unquam proxime ad verum, communicasse : non ita tamen, ut se partium contentionibus immisceret, sed potius oblata quietis facultate, et beneficentissimi amici liberalitate ad studiorum, quibus intentus continuo erat, commo- dum uteretur.

II. Fuerat, ut diximus suo loco, Paulinus episcopus a Lucifero Caralitano, in Antiochena Ecclesia adventi Meletio subrogatus, bono quidem consilio, sed quod minime e sententia successit. Hieronymus autem, tametsi Paulino Luciferi alumno adhæreret, eorum tamen, qui ab illo denominabantur, sectam Luciferianorum aversatus vehementer, et scriptis etiam insectatus est. Contigit enim vero hoc ipso anno, quo Antiochiæ substitit, ut Luciferianus nomine *El-ladius* disputationem in urbe (*plateam* enim et *porticum* nominat) cum Orthodoxo haberet, quam S. Pater excepit scriptis, et ad Catholicæ doctrinæ laudem juris etiam publici fecit. Biduo transacta res illa est : et primo quidem conviciis potius quam argumentis utrinque actum, ut *dum audientiam et circumlumina jam in plateis accessa solverent, et inconditam disputationem nox interrumpere, consputa pene invicem facie recesserint. Hoc tamen his qui adfuerunt, statuentibus, ut in secretam porticum primo mane conveniretur*, disputatio a notariis excepta, ita demum feliciter Orthodoxo cessit, ut Luciferianus ad meliora proficiens, desereret quod male tenebat. Hanc Hieronymus posterioris diei concertationem, seu verius Catholicarum partium victoriam, præmissa, quæ historiam explicat, Præfationcula, ita per Dialogum repræsentat, ut eam ex Actis omnino descripsisse, vix paucis de suo interdum additis, non præter verosimilitudinem credi possit : quamquam aliis studiose opus illud contextum, atque expolitum in Catholicæ veritatis gratiam videatur. Certe quæ Ariminensis Concilii gesta satis diligenti serie recitantur, ex ipsiusmet Actis descripta sunt : quæ auro contra gemmisque æstimanda fragmenta non alia hodie, neque alibi quam in hoc Libro superant.

Jam quod huc ista referimus, ac porro dicimus hoc ipso anno 379 contigisse, demonstrandum est. Et vero citius Hieronymi reditu e solitudine Antiochiam censeri nequeunt : siquidem et Enzoius jam fato sanctus nominatur (qui anno 376 sub Valente diem obiit), et Antiochiæ habita illa disputatio est, a qua proxime hæc se S. Pater, qui hocce anno, ut ostendimus, eo venerat scribere proficitur. Sed neque protrahi serius possunt ita ex ea urbe Constantinopolim, siquidem præcessit hic liber, S. ipso auctore in suorum Catalogo operum teste, Chronici elucubrationem, quam fuisse Constantinopoli editam anno insequenti, sive 380, inter chronologos fere constat. Adeo etiamsi perfracte quis velit, alibi quam Antiochiæ habitam disputationem, et sive Constau-

tinopoli, sive alia in urbe : omnino ante chronici descriptionem quæ anno 380 deputatur, referre debeat, et vix demum paucis mensibus a rationibus hisce nostris abludat. Quod si quem adhuc moveat, Luciferum in Chronico multa cum laude memorari, neque verosimile videatur, ejus ibi celebrari constantiam ac fidem, cujus sententiam, imò errorem hic Dialogus impugnat, nisi si liber iste in quo male audit, illo in quo bene posterior sit : si quem, inquam, hoc moveat, sciat, in hoc ipso etiam Dialogo satis observanter cum Lucifero agi ut ibi, *Cogor de beato Lucifero secus quidquam, quam et illius meritum, et mea humanitas possit, existimare* : et vicissim in Chronico, non ita laudari hominem, ut ejus inclementia et factum reprehensione vacet. Neque igitur ex hac parte quod quempiam moveat. Nos quod olim in admonitione ad hunc Librum censuimus, ad præcedentem proxime annum 378 esse referendum, nunc retractari inane, et ad subsequentem, de quo est hæcenus disputatum, differri.

III. Jam vero ejusmodi studia, ingeniumque ad res divinas tractandas natum, et cum primis morum eximia probitas, Hieronymum in magna hominum celebritate asseruere, adeoque probata sunt Episcopo sæpe partis Paulino, ut clero eum adscribere, et ad sacrum provehere Presbyterii ordinem, omnino voluerit. Quem ille tantum non invitatus suscepit, ut exorari se tanti Præsulis judicio, atque adhortationibus sineret. Eam tamen conditionem adhibuit, ut nihil idcirco ab inenudata iterum, si vellet, solitudine impediretur, nullique Ecclesiæ alligatus susceptum ordinem exercere nunquam cogi posset. Refert ipse sub finem libri contra Joannem Jerosolymitanum, quid tunc a se misello, ut vocat, *homine sanctæ memoriæ Episcopus Paulinus* audiverit : *Num rogavi te, ut ordinarer? Si sic Presbyterum tribuis, ut Monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo. Sin autem sub nomine Presbyteri tollis mihi propter quod sæculum dereliqui : ego habeo quod semper habui ; nullum dispendium in Ordinatione passus es. Atque in ea quidem sententia continuo persistit, ut ex toto Vita ejus instituto colligere est, maxime vero ex S. Epiphaniï testimonio Epist. inter Hieronymianas LI ubi eum tradit adhuc anno 394 *propter verecundiam, et humilitatem nolle debita nomini suo exercere sacrificia, et laborare in hac parte ministerii, quæ Christianorum præcipua salus est.* Erat iste illi, ut et Presbytero Vincentio (de quo erit postea dicendi locus) instinctus minime ille quidem improbandus, sed ex alio quam vulgo solet, proveniens pietatis erga Deum ac religionis impulsu. Ex eo autem licet in rem nostram conjicere, una illum *reposita* fuisse Presbyteratu initiatum, prout illis Ecclesiæ temporibus ob insignia personarum merita aliquando usuvenit, nec certe Diaconum ministrasse antea, prioresque ordines suscepisse.*

IV. Nunc est de tempore, quo hæc gesta res est, disquirendum. Contigisse autem hocce anno 379, aut sequenti, narrationis ordo quem tenemus, manifeste ostendit. Si enim Antiochiæ ordinatus est, S.

Pater, ut nihil dubitamus, atque ipse conceptis verbis testatur sub finem dudum laudati Libri contra Jo. Jerosolymitanum : *Ob id enim et ego Antiochiam, et ille (Vincentius) Constantinopolim urbes celeberrimas deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, sed ut in agris et solitudine adolescentiæ peccata defleremus* : omnino cum iterum eo venit e Cæciliis eremo, non primo cum ibi ab Orientis peregrinatione substitit, ordinatus est. Quippe nondum fuisse sacris initiatum, cum in eam solitudinem Syriæ secessit, nihil est dubium. Quin ipse etiam verbis illis Paulinum declarat : *Si sic Presbyterum tribuis, ut Monachum nobis non auferas* : quod scilicet jam fuisse et inter solitarios nomen suum professus, ac porro vellet, etiam si ad Sacerdotii gradum proveheretur, impostorum profiteri. Non igitur citius quam cum secundo venit Antiochiam ordinatus est. Sed neque serius potuit ; cum enim neque alibi quam Antiochiæ, neque ab alio quam ab eisdem Ecclesiæ Episcopo Paulino (nam sponte sua desipiunt, quibus hoc incertum videtur) fuerit ordinatus : ipse tamen se, cum Romæ paulo post degeret, inter Presbyteros recenset. *Sunt, inquit, alii (de mei ordinis hominibus loquor) qui ideo Presbyteratum et Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant (Epist. XXII. n. 28).* Consequitur hinc recta, quod proposuimus, non posse ordinationem illam in aliud commode tempus rejici, quam quo Antiochiæ secundo diversatus est ab anno 379 ad insequentis fere medium.

Et luculentissimo tamen illi ipsiusmet Hieronymi testimonio, in libro contra Joannem Jerosolymitanum, ex quo disputatum est hæcenus, repugnare merationibus istis video. Ait enim ibi (ut adversario respondeat, qui affectare eum in Ecclesia Dei principatum calumniabatur) *Si de me et Presbytero Vincentio, dicis, satis multo dormisti tempore, qui post annos 15 nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam et ille Constantinopolim urbes celeberrimas deseruimus... ut in agris et solitudine, adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam deflecteremus.* Et licet quo proprie ante hæc scriberet, non usque adeo compertum est : ipsi tamen nos indicari 599 bonis argumentis contendimus : et siquidem aliorum præstet rationes sequi (qua de re suo loco pluribus dicemus) biennio citius referantur. Ut ut se res habeat, si *tredecim* anni illi, quos notat S. Pater, a Presbyteratus ordinatione supputandi sunt (quod certe loci contextus prima statim fronte indicat, et vulgo eruditi faciunt) consequitur, multo cum serius, sive anno 386 aut ut minimum ex aliorum sententia, 384 sacris fuisse initiatum : id quod nullo modo neque cum allatis superius argumentis, neque cum reliqua vitæ ejus serie constare potest. Verum alia nobis inita est ratio, atque ea, nisi admodum fallimur, ad mentem S. Doctoris unice vera : esse scilicet annos illos a 376 subducendos, quando ipse Antiochiam tertio rediit, post Damasi mortem, una cum Vincentio, paulo antequam Bethleemico specu se adheret. Nihil enimvero aliud verbis illis significare voluit,

quam quod redux Antiochiam, cum in ea posset Ecclesia, ad quam præcedentis Ordinationis iure pertinebat, fortasse etiam Episcopi, atque amicorum adhortationibus alliciebatur, splendidius munere Presbyteratus defungi, maluerit agros ac solitudinem appetere. Neque sane poterat ad Ordinationis tempus respexisse: cum enim suum cum Vincentii facto jungat sub una eademque *tredecim* annorum notatione, quo ipse tempore ordinatus est, nondum certe erat eandem Vincentius dignitatem consequutus. Compertum hoc est ex ipsiusmet S. Patris Præfatione in Chronica ad eundem Vincentium, quæ cum anno insequenti, sive 380 data sit, dum simul ageret Constantinopoli, nunquam eum tamen sive in fronte Epistolæ, sive in contextu tanquam Presbyterum compellat: quem honorem, cum eo postea donatus est, aliis in libris, sicubi ejus mentionem facit, nunquam non addit. Erit fortasse etiam qui eum putet, nonnisi post medium anni 385, quo se iterum Constantinopoli reddidit (eo nimirum tempore, ad quod Hieronymum contendimus respexisse) fuisse ordinatum: tametsi libro III. contra Ruffinum num. 22 quo tempore Orientem repetiturus navim pariter cum Hieronymo in Romano portu conscendit, *Sanctus Presbyter* appelletur. Facile enim ita potuit per *πρόληψιν* nuncupari, quod jamdudum Presbyter creatus esset, cum ista scriberentur, tametsi nondum fuisset, cum res ipsa contigit, quæ narratur. Ut ut se res habeat, planum est, non debere annos illos *tredecim* ab epocha Ordinationis subduci, quo tempore nihil aliud Hieronymus quam Monachum in animo agebat, sed ab altera Presbyteratus abdicatione, cum Antiochiam tertio deseruit: qua in urbe se tunc etiam gloriatur fuisse, *fructum communionis Pontificis Confessorisque Paulini, et deductum ab eo media hyeme, intrasse Jerosolymam*. Nec sane aliam designat S. Pater oblatam sibi merendi in Ecclesiastico gradu occasionem. Nihil est enim tam verosimile, quam fuisse eum perquam enixe et majorem in modum, ut in Clerum cooptari se sineret, sui que ordinis munia obiret, invitatum, ac fere compulsum. Hoc certe pacto recte habet, quod se dixerit ante annos *tredecim* maluisse agros et solitudinem appetere, quam Ecclesiæ ministerio addictum, magna licet cum dignitate, in populi frequentia versari. E contrario qui Ordinationem ipsam respici annorum notatione illa existimant, nec habent quo se eum invicem gesta concilient, et in diversa alia omnia abeunt. Denique et cum audent S. Patris textui manus inferre, ut pro *tredecim*, rescribi *sexdecim* velint, animadversione digni sunt, ut cautius ac reverentius Antiquorum, et Patrum præsertim attingere monumenta discant.

CAP. VI.

I. *Antiochia Constantinopolim peregrinatur, ubi Gregorium Nazarenum audit.* II. *Ibidem Chronicon Eusebii Latine vertit, continuatque.* III. *Homilias quorundam*

Origenis vigintiocto interpretatur. IV. *Scribit etiam Tractatum de Seraphim.*

Quod nollet Hieronymus solitariae vitæ desiderio accensus, Ecclesiæ servitiis mancipari, illud etiam causa fuit, quod amore in dies magis discendi ageretur, et eos qui erant præ cæteris Ecclesiasticæ literaturæ fama insignes, adire, et magistros sibi adhibere vellet. Ea de causa Antiochiam, studiis partium misere agitatum, derelinquens, Constantinopolim profectus est: ubi Sancto Gregorio Nazazeno, cujus eloquentiam et Scripturarum doctrinam summopere admirabatur, in disciplinam se dedit, eumque catechisten habuisse, pluribus in locis gloriatur (*Ep. L. atque alibi*). Profecisse etiam se martium, eo præceptore, in divinarum rerum scientia (ob quam ille Theologi cognomento donatus est) proficitur (*Contra Jovin. lib. 1. Contr. Ruff. lib. 1*): et sermocinationes, quas secum habuit, nonnunquam affert. Sed et præclare secum ipso actum existimavit (*In Eph. c. 5.*), quod Sanctum quoque Gregorium Nyssemm per idem tempus ibidem novit: qui sibi et cognomini Nazazeno, quos scripserat contra Eunomium, plenos eruditionis ac doctrinæ libros prælegit. Facile hic se Constantinopolim contulerit ad œcumenicam secundam Synodum, quæ habita est anno 381 et antequam celebraretur, nimirum ut quædam cum Nazazeno conferret, eo venit. Hic enim regis urbis Episcopatum per idem tantommodo tempus tenuit, a Maio scilicet ejus anni, post abrogatum Maximum Cynicum, ad Julium mensem, quo se se ipse in œcumenico Concilio sponte abdicavit. Et Episcopum tamen agebat, cum ejus uteretur Hieronymus consuetudine: id quod Commentario in Isaia cap. 6, testatur; *Ante annos, inquit, circiter triginta cum essem Constantinopoli, et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazazenum, tunc ejusdem urbis Episcopum, sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque Tractatum etc.* Neque enim jure satis videtur ejus urbis Episcopus dici potuisse ob eo tempore, quo eam Ecclesiam administraturus accessit, ineunte anno 379, vel insequenti, cum ab Imperatore Theodosio in Basilicarum ejusdem urbis possessionem missus fuit. Et quoquo tandem se res modo habeat, satis tamen inde recte conficitur, quod narrationis institutæ ordo designat Hieronymum Constantinopoli ab an. 380. ad insequentis circiter medium constituisse.

II. Porro inter ingenii sui monumenta, quæ ibidem agens, literis consignavit, primum obtinet locum *Chronicon omnimodæ historiæ*, quod ab Eusebio Cæsarensi Græce perscriptum, in Latinum convertit, pluribus locis, quæ ad Romanas præsertim res spectant, de Suetonii aliorumque Latinorum historiis auxit, denique a vigesimo anno Constantini (quo sine Eusebii opus concluditur) ad mortem usque Valentis, id est, annum 378 totum de suo continuavit. Sed mirum illud ac fere supra admirabilitatem, quod tantæ molis opus propere dictando lucubravit. In Præfatione, quam Vincentio, de quo satis superius

dictum est, et Gallieno, quem ignoramus, inscripsit, sub finem, historiam Theodosii alteri se scriptiōni reservare significat: ex quo jam aliquod ejus imperii, quod inivit anno 379 tempus effluxisse intelligas, ipsumque adeo Chronicum opus nonnisi insequenti anno, ut citius, adscribi commode posse. Alia ex parte ne serius differatur, vetat quæ ejus mentio sit in Epistola XVIII. ad Damasum *de Seraphim*, quam incunte anno 381 scriptam mox ostendemus. Et scio his quidem rationibus illud repugnare ipsiusmet S. Patris testimonium Epist. LVII. num. 5. ubi *ante annos circiter viginti* se ait Chronicum istud in Latinum vertisse, cum ipsa tamen Epistola anno data sit 395 nemine dissentiente. Sed monui ego jamdudum, errorem ibi in numericis notis irrepisse, Antiquariorum oscitantia, qui XX. Romanas notas obvio lapsu scripsere pro XV. Quod cum sit ex hactenus dictis, aliisque suo loco allatis argumentis compertum plane atque evidens, et nihilominus textum immutare absque mss. ope mihi religioni duxerim: inventus est tamen tantæ homo dicacitatis, qui hac ipsa de causa studiis nostris detraheret.

III. Statim ab Chronico in suorum Catalogo Operum recenset S. Pater in *Jeremiam*, et in *Ezechiel Homilias Origenis viginti octo*, quas, inquit, *de Græco in Latinum verti*: tum subdit, *De Seraphim*. Et sane nihil est dubium, quin per hocce tempus, cum adhuc esset Constantinopoli, hæc quoque opera elucubravit. Quamquam aliis secus visum est de illis in Ezechiel, quas multo serius ab eo redditas Latine, contendunt, quod in earum Præfatione, Didymi (quem solum cum in Ægyptum profectus est, idque post annos fere sex, audivit) sententiam laudet. Quasi de illius ore, non, quod credere par est, ex aliquo ejusdem libro, necesse sit, ut exceperit.

IV. Tractatum *de Seraphim*, quem justis de causis, ut suo loco videre est, inter Epistolas sub num. XVIII. ad Damasum recensimus, amicis jubentibus, regia in urbe dictavit. Dictavit autem interrupte, quod oculorum dolore laboraret: postea Romam veniens, Damaso, cui nunc inscribitur, legendum dedit. Ejus S. Pater meminit Epistola LXXXIV. quæ ad annum circiter 400 pertinet, ibique editum dicit *ante annos viginti*. Locum si cum eo conferas hujusmet Tractatus, ubi Chronici mentionem facit (quem, ait, *Temporum librum*, nos in Latinam linguam ex Græco sermone transtulimus) itemque cum illo in Isaïæ caput VI. ubi annos *circiter triginta* ab elucubratione illa numerat, cum ipse Constantinopoli apud S. Gregorium tunc ejusdem urbis Episcopum erudiretur: subductis probe rationibus, cum plane intelliges fuisse anno 381 fere medio conscriptum. Neque vero nostrarum est partium hæc latius persequi, quæ satis abunde suis locis edisseruimus. Cætera etiam, quæ ad ejus scriptiōnis indolem, maxime vero Additionem illam spectant, quam Baronius insequenti anno, et cum Romam venisset S. Pater, junctam autumat, suis itidem locis disputata sunt.

CAP. XIV.

I. *Constantinopoli Romam ad Synodum proficiscitur*. II. *Ibi Damaso ab Epistolis elegitur, ejusque nomine consultationibus Orientis atque Occidentis respondet*. III. *Num Presbyter Cardinalis fuerit?* IV. *Soluit Damaso quæstiones de Osanna, et de duobus filiis, frugi et luxurioso*. V. *Ejusdem rogatu Evangelia Græcæ fidei reddit*. VI. *Psalterium quoque cursim juxta LXX. emendat*.

Intereadum hæc geruntur, *Orientis et Occidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones, Romam Imperiales literæ contraxere*, ut ipse loquitur S. Pater Epist. CVIII. ad Eustochium: ad *maximam nempe Synodum*, ut Theodoreto vocatur (*Hist. cap 8*), quæ Romæ habenda erat post anni trecentesimo octogesimi secundi medium. Inter eos qui acciti fuerunt ex Oriente, Paulinus Antiocheus, et Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopi Constantinopolim concessere, ut simul exinde recta Romam navigarent. Hieronymus, qui opportunam eo proficiscendi occasionem aucupaturus, in ea adhuc regia urbe detinebatur, his se Patribus atque amicis suis junxit, cumque iis Occidentem transmisit. Verum quippe est, aut certo verosimillimum, quod Baronius olim existimavit, fuisse eum quoque a Damaso Pontifice Romam arcitum, ut Synodo interesset, et difficillimis Ecclesiæ rebus opem doctrina sua ferret.

II. Atque hæc forte ea Ecclesiastica necessitas est, qua se Romam tractum Epist. laudata testatur. Nam et fuisse eum Damaso ab Epistolis dubitare non sinit ipse Epist. CXXII. ad Ageruchiam, *Ante annos*, inquit, *plurimos cum chartis Ecclesiasticis juvarem Romanæ urbis Episcopum, et Orientis, atque Occidentis Synodicis Consultationibus responderem*. Neque est præter verisimilitudinem, hoc cum munere statim atque ad Urbem accessit, fuisse ornatum, eoque in Romana Synodo, quæ paulo post, ipso tamen anno 382 est habita, officio functum. Quin etiam ab ea istud negotii accepisse, ut Fidei formulas hæreticis recipiendis adhibendas, conscriberet, facile adducto ut credam. Neque enim hoc alibi inficiari eum existimo, ut nonnulli volunt, qui locum ejus ex libro II. contra Rufinum num. 20. perperam interpretantur. Ait quidem ibi, *Cum mihi mea ingeratur fabella, a Synodo videlicet, et sub nomine cujusdam amici Damasi Romanæ urbis Episcopi ego petar, cui ille Ecclesiasticas Epistolas dictandas tradidit: et Apollinarium versutiæ describantur, quod Athanasii librum, ubi Dominicus homo scriptus est ad legendum acceptum, ita corruperint, ut in litura id quod raserint, rursus scriberent, ut scilicet non ab illis falsatum, sed a me additum putaretur*. Verum non illud his verbis, quod fuerit a Romana Synodo, atque ipso cum primis Damaso delectus, ut Ecclesiasticas literas scriberet: sed alterum, quod ea occasione contigerit, de Apollinaristarum dolo, fabellæ deputat. Deputat vero ita in subnexa ibi responsione: *Ut etiamsi, inquit, a me verum audisti, alius qui rei ignarus est, dicat a te esse compositum (Lib. II. Contr. Ruff.)*. Quibus sane verbis tantum abest, ut factum neget, quàm potius

fateri videtur, a se præ-sente ipsi Rufino narratum antea, ac solum ait, posse aliis qui ignorarint, videri ab ipso, utpote inimico, confectum. Repudiat autem ea de causa, quod in Ecclesiasticis Tractatibus, ubi de veritate dogmatum quaeritur, gravissimam auctoritatem proferri, et ab istiusmodi historiis, quas (etsi vere contigerint) fabulas vocare consuevit, velit esse abstinendum. Nec ignoramus, quod præ-terea, ut hæc fabulis adceseat, opponit vir Ecclesiasticæ antiquitatis litterate peritus P. Constantius; secundo scilicet opus non fuisse, ut Fidei formulam conderetur, cui Appollinaristæ subscriberent, cum Damasus ante aliquot annos adversus eorum hæresim formam professionis Paulino Antiocheno misisset. Verum, cum de Apollinaristis in ea Synodo iterum disputatum fuisse, S. Ambrosius data hocmet anno Epistola testetur: facili et novam conditionem oportuit, et fuisse revera conditam, ex co licet arguere, quod in præcedenti ad Paulinum Antiochenum missa Christus *homo Dominicus* nunquam appelletur. Denique nihil est, cur hanc laudem Hieronymo, cujus eximia eruditionis jam aliquem Patres et Damasus usum perceperant, denegemus.

III. Sed et fuisse eum, statim atque Romam venit, Romano Clero adscriptum, atque adeo esse inter Cardinales, ut nunc vocant, adcesendum, magno olim conatu quidam contenderunt. Pelagius autem secundus Romanæ insuper Ecclesiæ Episcopum eum appellat (*Tom. 4. Concil. B. p. 314*): et Anastasius eundem quem sibi, Bibliothecarii titulum atque officium ei donat (*Mabil. Mus. Ital. t. 1. p. 82*). Verum cum Hieronymus ipsemet ejusmodi honorum nec verbo tenus meminerit, maxime vero cum id e re sua fuisset; imo a Joannis Jerosolymitani se jure exempturus, solius Presbyteratus recordetur, quem Antiochiæ, ut diximus, ea conditione suscepit, ut nulli Ecclesiæ obligaretur: eadem, qua hæc proposita sunt, facilitate refelluntur. Neque sane est hodiernum quem præpostera illa vulgi opinio adhuc teneat, postquam eam Baronius, summus Hieronymianæ gloriæ adsertor, refutare data opera non dubitavit. Nihil enimvero potuit tam longe abhorrens ab S. Patris ingenio et moribus excogitari, quam voluisse eum se gradibus Ecclesiasticis ac titulis adstringi, hominem, qui aut continenter eremos incoluit, aut nihil aliud animo unquam versavit.

IV. Sed utique carus Pontifici atque intimus inter ejus familiares fuit; cui præsertim edisserendis Scripturis, ita ingenium atque eruditionem suam prohavit, ut ille hujus elucubrations non legeret modo perquam libenter, sed et sua ipse sæpe manu describeret. Sæpius etiam eum de locorum quæ difficultiora viderentur, sensu consulabat: et cum magis ille sacris libris perlegendis, quam novis conscribendis distineretur, ad scribendum invitabat, scriptisque suis lacescebat. Inter quæstiones, quas ipsi solvendas proposuit, illæ est de vocis *Osanna* apud Matthæum significatione ex Hebræo fonte: tum de *Arctus filii frugis*, et *luxurioso* apud Lucam, quibus

postulatis Hieronymus duplici Epistola sub numeris in Editione nostra XX, et XXI. respondit, ac satisfecit. Eas refert ipsemet in Catalogo statim ab illa *de Seraphim*, unam post aliam, quod ad idem utraque tempus pertineat, annum videlicet, ut series historię hujus indicat, suisque locis probatum est, 583. Alia postmodum ad eundem Pontificem rogatus scripsit, quæ in consequentem annum, et quod excurrit differenda sunt.

V. Sed illud sane cæteris longe gravius et difficilissimum plenum opus alicui, quod ab ipso per hocce tempus (neque enim rejici potest commode in aliud) Damasus postulavit, ut Evangelia ad Græcos codices emendaret ac restitueret. Erant tunc Latine Vulgatæ Versionis, qua passim Ecclesiæ utebantur, tot pene exemplaria, quot codices (*Ex Præf. in Evang.*). Multa a vitiosis Interpretibus male reddita, alia a præsumptoribus imperitis emendata perversius, pleraque a librariis dormitantibus addita, vel mutata. Magna etiam contextus Evangelistarum inolitâ perturbatio, ut in Marco plura Lucæ ac Matthiæ: rursus in Matthæo plura Joannis et Marci, atque ita in reliquis, quæ unius propria sunt, in aliis invenirentur. Adeo necesse erat, cum id sibi negotii dari passus est S. Pater, ut inter varia et pugnancia secum invicem Latina exemplaria toto jam orbe dispersa, quasi quidam arbiter sederet, deque tot lectionum dissidiis, trajectionibus, additamentis, ubi nihil non grave, et momenti est perquam magni ad divinorum sensuum integritatem discerneret, atque inde unam tertio quoque verbo excideret, quæ ad Græci exemplaris emendatissimi fidem exacta, unice veritati consentiret. Accepit tamen tantum adornandi operis, atque invicto animo laborem exantlavit. Correctis innumeris fere locis, germanum Evangelistarum textum excudit, et Præfatione, qua monuit de sui operis instituto, Damaso inscripsit. Subtexuit præterea Canones, quos Eusebius Cæsarcensis Alexandrinum sequutus Ananionum Græce præscripserat, in Latinum conversos, ut distingui uno intuitu posset quid quisque Evangelista peculiare, quidve cum aliis commune haberet. Num reliquum postea Novum Testamentum lævi eadem pumice ad Græcam auctoritatem expoliverit (quod ipse quidem Epist. XXVII. et in Catalogo innuit) in præfixa decimo operum ejus Tomo Præfatione nostra disputatum est.

VI. Sublatis Evangeliorum erroribus, Romæ, itidem, *Psalterium juxta Septuaginta Interpretes licet cursim, magna tamen ex parte emendandum* suscepit (*Præfat. in Psalt. ex Græco*). Ea nunc recensio Romanum *Psalterium* audit, quod sive Damasi, sive aliorum de Urbe amicorum rogatu, in ejus certe Ecclesiæ gratiam atque usum fuerit a Hieronymo elaboratum. Ea utitur etiamnum Romæ Vaticana Basilica. De alia eaque multum accuratiore postmodum adornata ad Græcum Hexaplarum, cum obelis, atque asteriscis, quod *Gallicanum Psalterium* dicitur; itaque de nova ex integro interpretatione ex Hebraico archetypo, dicemus suis locis.

CAPUT XV.

I. Cogitur Romanas aliquot Virgines ac Matronas sacris literis instituere. II. Ad quas plures Epistolae scribit. III. De singulari illa ad Eustochium, quædam scorsum. IV. A Damaso de quinque quæstionibus interrogatus respondet. X. Editionem Aquilæ cum Hebræo exemplari confert: Homilias quoque Origenis in Cantica interpretatur. V. Scribit contra Helvidium. VI. Alia quædam scripta ejus et gesta.

I. Tot inter studia, et quod magis mirum est, in tanta Urbis frequentia, et Summi Pontificis gratia, nihil de vitæ austeritate, quam pridem in Calcidis eremo inierat, Hieronymus remittebat; nam et fæbis corpusculum sustentare solitum, et macie ac pallore delectatum se, non uno loco profitetur (Ep. XLV); et si qui ejusmodi vitam miserrimam putaret, eos multo miserabiliores existimabat. Pleisque autem ea de causa probatus adeo est, ut passim audiret *Sanctus, humilis ac desertus, et omnium pene judicio dignus summo Sacerdotio* decerneretur. Hæc vero tanta de illo opinio plurimum Matronarum studia ad capescendas ejusmodi vitam, ac disciplinam, ita excitavit, ut licet ipse mulierum consortia numquam non attente declinaret; nonnullis tamen longe sanctissimis, quæ id expeterent supremis precibus, præceptorem se in Scripturarum intelligentia dare coactus est. *Nulla fuit, inquit, alia Romæ Matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens, atque jejunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem Sol sæpe deprehendit.* Fuere autem ex his Paula mater, Romanæ nobilitatis et pietatis ornamentum, ejusque filia Eustochium, qua nulla in Hieronymianis scriptis celebrior est, Blasilla item soror, quæ mortuo marito totam se Deo converterat, tum Lea religiosissima femina, atque Asella virgo, quæ Romæ velut in eremo solitariam vitam degebat, Marcella denique vidua longe nobilissima, in cujus ardes, ut Hieronymum de Scripturis disserentem audirent, illæ atque aliæ Matronæ, ac Virgines conveniebant. Præter istas Albina mater, Marcellina et Felicitas, quas salutat Epist. XLV. Principia quoque, quam pluribus locis impense laudat, et Felicianam quam commemorat Epist. XXX. quarum una omnium vita atque exemplis Christiana res valde illustrata est. Nonnullæ autem ex his ita eo præceptore in scientia Scripturarum excellere, ut Paula *Hebræam linguam* personaret, filiaque ejus Eustochium Hebraico quoque sciret codices nitidius exscribere, ipsaque soror ejus Blasilla brevi jam linguæ ejus difficultates vicisset, et in discendis canendisque Hebraice Psalmis cum matre contenderet. Marcella vero tantam ex ejus præceptionibus sanctorum disciplinarum notitiam haurivit, quantum vix longo ipse sibi studio ac labore comparasse fatetur S. Pater. *Hoc, inquit, solum dicam, quod quidquid in vobis longo fuit studio congregatum, et meditatione diuturna, quasi in naturam versum, hoc illa*

libavit, hoc didicit, atque possedit: ita ut post professionem nostram, si de aliquo testimonio Scripturarum esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur (Epist. CXXVII). Aliarum (neque enim vacat singularum historiam persequi) laud impar indoles atque animus fuit et profectus: omnes enim ille ad virtutem arrigebat, perque multas exercitationes tantam edocuit sacrarum Literarum scientiam, quanta ad perfectam earum interpretationem usui esset futura.

II. Cujus operæ is demum fructus ad nos usque venit, ut etiamnum Epistolæ ad eas multæ superent, quibus difficiliora quædam Scripturæ loca exponuntur, ut ea modo huc referam, quæ ad earum postulata Romæ et per hocce tempus ab eo scripta sunt. Tres habemus ad Paulam, ad Eustochium duas, ad Marcellam admodum sexdecim: quas omnes ab exeunte anno 384 ad insequentis fere medium dedit. In Chronologicis ad eas Notis de hoc ipso, ad quod spectant, temporis intervallo, deque ordine quem inter se ob eandem ætatis prærogativam obtinent, satis multa disputata sunt, quæ replicare heic iterum, tametsi quamdam peculiaris ejus historiæ partem contineant, neque nostrarum partium est, neque otii. Et scimus præterea alium inter eas institui posse ordinem, fortasse etiam propius ad veri speciem, priore illa ad Eustochium, quæ numerum in recensione nostra XXII. obtinet relata ad anni ejus 384 Octobrem aut Novembrem mensem. Sed quando conjici in aliud ab eo quod diximus, tempus non possunt, et vix decem spatio mensium omnes continentur: non videtur e re nostra aut Lectoris esse istis momenti perquam exigui rationibus immorari. Præstat ab hac temporis notatione colligere (quod ad modestiam Hieronymi prædicandam plurimum interest) eum nonnisi sero admodum ventitare passum ad se mulieres discendi gratia: nec proprie ad se, sed in ædes Marcellæ nobilissimæ, sanctissimæque viduæ, in quibus ipse hospitabatur: neque ante eas in disciplinam excepsisse, quam singularum sibi esset virtus explorata, utpote qui proprio olim fortassis periculo verebatur, ne ex frequenti mulierum consortio ad voluptatem impelleretur homo, qui omnia præ castitatis studio postputabat. Serius adhuc multo domum S. Paulæ novit, ut ex Epist. XLV. compertum est.

III. Id ipsum ex XXII. ad Eustochium discimus, quæ maxima Hieronymianarum causa vicissitudinum fuit, estque adeo sigillatim recolenda. Ibi S. Pater nihil eorum quæ ad virginis institutionem, et virginitatem servandam pertinent, prætermisit præceptorum de fuga sæculi, de victu, ac vestitu frugi, de cavendis Clericorum aliquot et Monachorum vitiis, avaritia præsertim et gula, de Sanctorum exemplis, studio Scripturarum, atque aliis, quæ ibi copiose atque ornate siquid alias edisserit. Tam erudita, tamque elegans, rerumque et sententiarum pondere gravis visa est, ut eam Sophronius Hieronymi amicus dignam duxerit, quam in Græcum trans-

ferret. Nihilominus quantam ex ea, et consortio mulierum in se acuerit invidiam in *maledica civitate, et in urbe, in qua orbis quondam populus fuit, palmaque vitiorum*, et quas inimicitias incurrerit, paulo post juxta rerum seriem exponemus. Addimus interium non solum eum, ut ait, crebris Virginum turbis circumdari solitum, quæ de Scripturis interrogarent, et capessere sanctiores disciplinas vellent, sed et viros nonnullos exstitisse, quos ipse Danieli, Ananiæ, Azariæ, et Misaeli in Babylone comparat, sacræ eruditionis cupidos, qui ejus sæpe opera et consuetudine in eam rem usi sunt. Præter summum Urbis Pontificem Damasum, qui nullis non litterariis laudibus abundabat, insigniores fuere Pammachius, Marcellinus, Dionysius, Rogatianus, Oceanus, ut ex illis, quas ad eos postmodum literas dedit, compertum est. De his postea redibit sermo.

IV. Quod a mulieribus institutis supererat tempus, lectioni Hieronymus dabat, eique se totum devoverat, ut excepto Didymi Tractatu de Spiritu Sancto, quem Latinitate donare inceperat (differre autem, ut dicemus; in aliud tempus, coactus est) nihil jam dictando aut scribendo elucubraret. Quod cum agre Damasus ferret (mirum enim in modum ejus ingenii monumentis delectabatur) ut quasi *dormientem longo jam tempore* excitaret, ab eo petiit, ut siquid operis in promptu haberet, sibi legendum traderet. Cumque hic nihil suppetere sibi respondisset præter Epistolas scriptas olim in eremo: furtivis tamen noctium operis, dictaturum se novi aliquid, si vellet, pollicitus est. Quod liberaliter accipiens Damasus, datis tabellario Diacono litteris, S. Patri quinque ex Vetere Testamento quæstiones proposuit. Ex his ille tres modo solvit perquam erudite: reliquas duas prætermisit, quod Tertullianus, Novatus, atque Origenes jamdudum cas agitarint, atque expedierint. Non obscure autem ex hac tota narratione apparet, debuisse duas istas Damasi ad Hieronymum, et Hieronymi ad Damasum Epistolas aliis hujusmet anni ad Eustochium et Marcellam, quæ in Editione nostra ordine præponuntur, anteferri: ad quem sane modum restitui nunc velim. Si enim fuissent tunc illæ Epistolæ abs Hieronymo elucubratae, neque eum dixisset Damasus *dormientem longo jam tempore, et legentem potius quam scribentem*, neque respondisset Noster, *nullas se jam Epistolas habere, exceptis his, quas aliquando in eremo dictaverat*, quasque S. Pontifex tota aviditate jam legerat, atque descripserat. Accedit, quod ipse in suorum Catalogo operum S. Pater hanc *de tribus Quæstionibus Legis Veteris* elucubrationem laudatis illis, ad Eustochium et Marcellam Epistolis anteponit, imo et *Homiliis in Cantica Cantico-rum*, et libro *adversus Helvidium*: eumque ordinem observari cæteris cuicunque argumentis præstat. Porro cum accito Notario responsionem dictare Hieronymus jam cæpisset, Hebræus nescio quis advenit, qui Hebræicos Codices diu multumque ab illo exquisitos adtulit: quo inopinato eventu a scribendo evocatus, iisque totus intentus libris, a respondendo

abstinuit. Et videntur quidem Hebræici isti codices iidem, quibuscum *jampridem Editionem Aquilæ se conferre* Epist. XXXII. ad Marcellam testatur. Ex quo item manifestius liquet, hanc ad Damasum responsionem ante illam ac præcedentes alias ad Marcellam literas fuisse lucubratam. Satis autem erit præpostero apud nos ordini consultum, si vigesima secundæ ad Eustochium, duas istas quæ numeris prænotantur XXXV. et XXXVI. præponas. Per idem tempus, ac Damasi ejusdem hortatu binas Origenis Homiliæ in Cantica Cantico-rum Latinitate donavit, ipsiusque nomini S. Pater inscripsit.

V. Nec multo post calamum *rogatus a fratribus* contra Helvidium acuit, quem refutare diu recusaverat, *ne respondendo dignus ille feret, qui vinceretur* (*Lib. contr. Helvid.*). Erat ille e populo vulgaris homo, rusticanus, laicus, et vix primis imbutus literarum elementis, tamque obscuri nominis, ut quamquam in eadem atque Hieronymus Urbe degeret, numquam de facie cognitus illi fuerit, qui *albus*, aut aiunt, *aterre* esset, se ait ignorare. Et Auxentii tamen discipulum eum Gennadius vocat, et adversus nescio quem *fratrem Craterium*, aut *Carterium*, in quo eloquentiam et linguæ nitorem requireret homo infantissimus, scripsisse eum, testis est S. Pater. Probare stultus ille contendit ex aliquot S. Scripturæ testimoniis perperam intellectis, duorumque Scriptorum veterum, Tertulliani scilicet, et Victorini Petabionensis auctoritatem, Mariam post genitum nulla hominis, sed Spiritus Sancti opera Jesum Christum, alios ex Josepho communi hominum more filios genuisse, eos nimirum, qui *Frates Domini* in Evangeliiis appellantur. Neque hac sine stetit malum, nam et Virginitati Nuptias conquandas futilibus, ut potuit, argumentis probare conatus est. Ejus erroris de Maria, plurium filiorum ex Josepho matre, doctor jampridem fuerat Eunomius, ut ex Philostorgio intelligimus (*Hist. lib. V. cap. 2*), eademque olim doctrina late patuit in Apollinario, Epiphonio teste. Sed et per id temporis quo Helvidius scribebat, aliorum in Italia mentes hominum stultissimus error ille pervaserat, ut ejus Episcopi, quem S. Ambrosius confutavit libro de Institutione Virginitatis ad Eusebium. Hæc solito fortasse latius persequuti sumus, quod Hieronymianæ contra eum hæreticum disputationis historia et causæ penitus intellectæ, conferre nonnihil ad Vitæ ejus seriem videantur. Scripsit autem S. Pater hunc Librum, ut Epistol. XLVIII. ad Pammachium testatur, *Dum adviveret sanctæ memoriæ Damasus*, cui et satis probatum fuisse indicat verbis, quæ subnectit: *Num vir egregius et eruditus in Scripturis, et virgo Ecclesiæ virginis doctor aliquid in illo sermone reprehendit*. Meminit autem ejus Epist. XXII. ad Eustochium, quæ eodem hocce anno post paucos menses data est: *Quantas, inquit, molestias habeant nuptiæ.... in eo libro, quem adversus Helvidium de B. Mariæ perpetua Virginitate edidimus, puto breviter expressum*. Quare si recte monuimus ad anni hujus 384 postremos fere menses Epistolam eam esse d.fferendam, multo est etiam propius ad verum, ut

eodemmet anno, nec sane multo ante medium, hic ipse Liber conscriptus sit, quam præcedenti proxime, ut olim in Admonitione ad eum conieciēbamus.

VI. Sunt porro alia S. Patris scripta, vel deformata dumtaxat, atque adornari cœpta, quæ postmodum perfecta sunt, vel quæ ad privatos scholæ, ut ita dixerim, usus, non ad publicam lucem parabantur, vel denique promissa quidem, atque animo præconcepta, sed prætermissa postea, neque ad umbilicum producta. Quæ omnia si quis huic temporari adscribi velit, cum vix in aliud rejici possint, tametsi non usque adeo comperitum est de anno, aut verius anni parte, favebo conjecturæ: ita tamen, ut iudicium suum sibi unusquisque integrum habeat, atque alias, si res ferat, rationes pro lubito inire possit. Ex eorum numero memoranda cum primis est inchoata Didymi, quam et superius innuimus, interpretatio: tum Psalmorum ad Marcellam Expositio, cujus laboris pars quædam exigua in Epistolis eidem inscriptis superat: brevis item Commentariolus in Ecclesiastem, ad Blæsillæ institutionem, privatosque usus, ut difficiliora loca posset etiam absque præceptoris voce intelligere: Collatio quoque illa codicum Hebraicorum cum Aquilæ editione, quod sane studium neque operæ pretio caruit, neque ita brevi temporis spatio absolutum est: denique Opus illud quod in Epistola XXII. Ad Eustochium se scripturum receperat, *Adversus avaritiam*, et si placeat, *de vitæ ratione Eremitarum Ægypti*, cui texendo operi, etsi licia fortasse tunc pararit, manus tamen postea numquam admovit. Placet etiam huc referre Disputationem, quam Epistola LXIX. ad Oceanum se narrat habuisse Romæ cum viro eloquentissimo super ea quæstione, num qui unam antequam baptizaretur, alteram post lavacrum, priore mortua, duxerit uxorem, bigamus censi debeat, possitque ad sacros ordines promoveri. Sentiebat Hieronymus, id quod etiam post annos ferme duodecim, ut suo loco dicemus, scriptis consignavit, uxorem ante Baptismum ei qui ordinandus esset, minime esse imputandam. Quibus autem tunc fuerit argumentis usus, atque adversario responderit, ex laudata ad Oceanum Epistola intelliges, ubi disputationis historiam per partes narrat.

C A P. XVI.

I. Damasus moritur, cui Siricius, non usque adeo Hieronymi studiosus, succedit. II. Hic inimicitias plurimorum subit. III. Calumnia criminis gravissima liberatur. IV. Decedere Roma instituit. V. Ad Asellam scribit.

I. Dum his intentum studiis animum habet Hieronymus, diem obit Summus Pontifex, idemque summum ejus Operum et vitæ columnen, Damasus, post administratam annis duodeviginti singulari innocentia et Sanctitate Christianam Rempublicam. Obiit autem prope octogenarius, ut Noster loquitur libro de Viris Illustribus (c. 4. p. 430), et ut vetustissima Martyrologia testantur, exunte anno 384, decima, sive undecima Decembris die. Eodem hocce anno, post

paucos alio interjectos dies, Siricius in demortui locum suffectus est: homo qui amore, potius, quam auctoritate populus regendos suscepit, miti admodum et simplici animo, et qui de suo ingenio, ut ait iterum Noster (*Lib. III. contr. Ruff.*), cæteros æstimabat. Tunc vero qui clanculum Hieronymo detrahebant, advivente Damaso (apud quem pollebat plurimum gratia, et cunctis honorificentia significationibus colebatur) Siricio rerum potente, qui male de aliquo suspicari nesciebat, neque admodum suo videtur S. Doctorem præsidio tutatus, insurgere in eum palam, apertumque bellum inferre ausi sunt. Quin ipsum etiam Siricium nonnulli, de quorum numero Baronius, querelarum in partem vocant, quod Hieronymum honore ab Epistolis sacris abdicatum, inimicorum obtreactionibus velut exposnerit. Accedit quod, elapso circiter mense ab ordinatione sua, sive tertio Idus Februarias anni 385. Decretali, ut vocant Epistola ad Himerium data c. n. adversus eam Hieronymi sententiam, quam supra exposuimus (de uxore ante Baptismum, ei qui in Clerum coaptari vellet, non imputanda) iudicium dixit, constituitque, Clericos, qui secundam uxorem duxerint, deponendos, et bigamiam etiam a matrimoniis ante Baptismum initis contrahi, suprema auctoritate sua statuit. Sed nemo hinc tamen sibi in animum inducat, eum quidquam in S. Doctorem commisisse, unde is in aliorum criminationes atque odia incideret. Quod quidem ex ipsomet Hieronymo probari potest, qui Ruffino temere objicienti iudicium, quod de se Romæ tunc habitum fuit, et quid postea scriptum, strenue respondet, nihil se horum timere, cum *Scriptis Ecclesiasticis arguendus sit* (*Lib. III. cap. 7*). Statimque subnectit, *Vide quantum te timeam. Si vel parvam schedam contra me Romani Episcopi, aut alterius Ecclesiæ protuleris, omnia quæ in te scripta sunt, mea crimini confitebor*. Nihil itaque heic, nihil alibi de Siricio queritur: neque ab eo est illa conflictationum S. Patris cum æmulis malisque hominibus, causa repetenda.

II. Sed ipse utique, quid causæ fuerit, Hieronymus novit, et fassus est Epistol. XL. *Nos, inquit, ritiis detrahentes, offendimus plurimos*. Querelarum origo ab Epistola, seu libello de virginitate servanda ad Eustochium fuit, quem et Romæ obtrectantium manu lapidatum, scribens ipsemet postmodum ad Nepotianum, narrat. Reprehenderat nempe ibi cumpinibus Monachos, qui al eam a proposito vitam agentes, gulæ indulgerent et ventri, divitum domos frequentarent, studerent avaritiæ, insolescerent superbia et superstitione; *Apud quos, ait, affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis grossior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio Clericorum*: *Succensuit et Clericis, qui Presbyteratum et Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius videant: quibus omnis cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat; Crines calamistri vestigio rotati, digiti annullis radiantes*. Ex his etiam unum, quem et principem artis vocat, et *veredarium urbis breviser strictimque*

describit. Sed nec Virginibus pepereit, quæ virorum consortia non declinarent : quod unum cum præcepisset, seu verius dixisset, *Virgines sapius debere cum mulieribus esse, quam cum masculis, totius oculus Urbis offendit, cunctorum digitis notatus est (Ep. XXVII)*. Inter multos autem qui his offenderentur, quidam fuit Onasus Segestanus, sive ex Pannonia ille fuerit, sive ex Sicilia (utraque enim in provincia cognominis civitas habetur) qui Romæ per id tempus degens, et quæ vitia Hieronymus in universum carpebat, se fortassis peccare sentiens, dicta ejus et scripta in sui contumeliam accepit. Quantas hic turbas concitarit, dicere est ex Epistola XL. ad Marcellam, qua hominis impudentiam falsissime S. Pater refellit, ac ridet. In dies autem magis obtractantium vis aucta et temeritas, ut passim vulgo *Satyricus Scriptor* audiret, *versipellis, et criminisus*, et iniquissimis subinde calumniis impetitus, publice differri ac traduci cœperit. Et prænotaverat tamen ipse cum scriberet *cunctorum adversus se maledicorum tela esse torquenda. Quos, aiebat, obsecro, ut quiescant, et desinant maledicere; non enim, ut adversariis, sed ut amicis scripsimus, nec inveci sumus in eos qui peccant, sed ne peccent, monuimus.*

Neque vero sola in vitiis reprehendendis libertas Hieronymo invidiam creaverat, sed et consilia ad virtutes, sanctaque vitæ institutio, qua nobilissimas feminas ab illecebris sæculi et pompis, ad Christianæ pietatis officia, et Scripturarum meditationem evocavit, civium acere odia, et potentium inimicitias concitavere. Blæsille, recens viduæ, quod auctor fasset ad sanctiorem vitæ rationem inmundam, ut et Monacham profiteretur, ita multorum pupugit animos, ut cum febrium ardore paulo post illa diem obiisset, asperitate vitæ veluti occisa diceretur : inque ejus funere, de Paula matre fere ob dolorem exanime, populus mussitaret, *Nonne illud est quod sæpius dicebamus : dolet filiam jejuniis intersectam, quod non vel de secundo ejus matrimonio tenuerit nepotes. Quousque, audebant, genus detestabile Monachorum non urbe pelitur? non lapidibus obruitur? non præcipitatur in fluctus? Matronam miserabilem seduxerunt, quæ quam Monacha esse noluerit, hinc probatur, quod nulla Gentilium ita suos unquam flevit filios.* Narrat de se ipse in Præfatione ad Didymi librum, cum adhuc in *Babylone*, (id est Romæ) versaretur, post Damasi mortem, ut ex rerum serie manifestum est, quod tanta subierit maledicæ urbis et *purpuratæ meretricis* odia. *Ecce, inquit, Phariseorum clamavit Senatus, et nullus Scriba vel fictus (forte velificatus uno verbo legendum est) sed omnes quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum me imperitiæ factio conjuravit.* Quibus verbis primores tum ex Clero, tum fortasse etiam ex Patriorum ordine, in quorum magno esset odio, denotari perspicuum est.

III. In hac tanta quam apud multos nominis atque existimationis jacturam fecerat S. Pater, ut et *probrosus, et mendax, et lubricus, et Satanæ arte decipiens* audiret, a quo Christiana pietas magnum incremen-

tum acceperat, ac porro acceptura erat : *peculiaris etiam nescio cujus, gravissimi tamen criminis reus peragebatur.* Inventus est quidam rumigerulus homo tam impudens, et perfrictæ frontis, qui testis appositus, illud nescio quid sceleris vidisse se, vel audisse assereret, et nequissimæ criminationi fidem testimonio suo faceret. Sed ubi quæstioni admotus est, instructam calumniam fateri non dubitavit, et remove quod impegerat delictum innocentis. Qua de re S. Pater ad Asellam inscribens : *Esto, inquit, crediderunt mentienti : cur non credunt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat : fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur. Et certe veritatem magis expriment tormentum, quam risus; nisi quod facilius creditur quod aut fictum, libenter auditur, aut non fictum ut fingatur, impellitur (Epist. XLV).* Neque heic tamen, cujus proprie delicti accusaretur, indicium facit. Quod vero a nonnullis proditur, et vetus innuit Auctor Vitæ Hieronymianæ, de supposita muliebri veste, quam cum ille imprudens pro sua induisset, eaque ornatus in cœlium Ecclesiasticum noctu prodisset, et risum, et stupri suspicionem sibi conflaverit, nullam veri speciem habet. Neque enim, quod ad tuendam innocentiam suæ famam, detecta inimici astutia, facile præstare Hieronymus poterat, ac porro præstandum sibi erat, omnino tacitum dissimulasset, neque rei nullam in dudum laudata Epistola, qua variis invidorum in se calumniis respondet, mentionem fecisset. Multo est verosimilius in eo culpatum, quod nobiles ac divites Matronas lucri et consuetudinis illicitæ causa, sanctioris vitæ prætextu decepisset, et Jerosolymam explende libidinis gratia vellet abducere : ait enim ibi, *Nihil mihi aliud objicitur, nisi sexus meus, et hoc nunquam objicitur, nisi cum Jerosolymam Paula profiscitur.*

IV. Denique cum eo vesaniæ res processisset, ut quæcumque ageret S. Pater, in crimen deputarentur : *alius enim, inquit, incestum meum calumniabatur et risum : ille veluti detrahebat, hic in simplicitate aliud suspicabatur : de relinquenda maledica Urbe secum ipso deliberavit.* Neque alia erat declinandi insidiatores pestilentissimos ratio. Subduxit se itaque ab eis prius fugam in solitarium locum, et ruri se recepit : unde et ad Marcellam dedisse videtur Epistolam in recensione nostra XLIII. in qua ipsam quoque hortatur, ut relictis Urbis molestiis, ac turbis, rus se conferat, in cujus solitudine pace sibi frui liceat. Ipse autem non Urbis modo, sed et vicinarum pertæsus, discessum suum non tam animo, quam opere jam parabat : cum tandem Augusto mense, *spirantibus Etesis*, commodam navigationi in Orientem occasionem nactus, Romæ, quæ adeo se ejus consortio præbuerat indignam, vale ultimum dixit.

V. Sed antequam tamen daret ventis vela, *cum jam navim in Romano portu conscendisset, raptiflens dolensque* Epistolam XLV. ad Asellam scripsit, ex qua et pauca superius delibavimus, et quædam alia heic in rem nostram describere, operæ pretium est. *Pene, inquit, certe triennium cum cis (Romanis)*

vixi. Multa me Virginum crebro turba circumdedit. Divinos libros, ut potui, nonnullis sæpe edisserui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiducia fecerat. Dicant, quid unquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat? Pecuniam cuiusquam accepi? munera vel parva, vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit? obliquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud obijcitur nisi sexus meus, et hoc numquam obijcitur nisi cum Jerosolyman Paula proficiscitur, etc. Et paulo post: Numquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? Numquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, urvi rapuit ambitio? Nulla fuit alia matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens, atque jejunians..... Cujus canticum Psalmi, sermo Evangelium, delicie continentia, vita jejunium. Nulla me potuit alia delectare nisi illa, quam manducantem numquam vidi. Sed postquam eam pro suo merito castitatis venerari, colere, suspicere cæpi, omnes me illico deseruere viriutes. O invidia primum mordax tui! o Satanæ caliditas semper sancta persequens! Nullæ aliæ Romanæ urbi fabulam præbuerunt, nisi Paula et Melanium, quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis, Crucem Domini quasi quoddam pietatis levavere vexillum. Si balneas peterent, unguenta eligerent, divitias et riduitatem haberent materiem luxuriæ, et libertatis, Domine vocarentur et Sanctæ. Nunc in sacco et cinere formosæ volunt videri, et in Gehennam ignis cum jejunii et pudore descendere: videlicet non eis licet, applaudentem populo, perire cum turbis. Si Gentiles hanc vitam carperent, si Judæi, haberent solatium non placendi eis, quibus displicet Christus. Nunc vero, pro nefus, homines Christiani, prætermissa domorum suarum cura, et proprii oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt. Lacerant sanctum propositum, et remedium pænæ suæ arbitrantur, si nemo sit Sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium. Denique, pluribus ejusmodi interjectis: Gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit. Ora autem tu, ut de Babylone Jerosolymanam regrediar, ne mihi dominetur Nabuchodonosor, sed Jesus filius Josedech..... Stultus ego, qui volebam cantare Canticum Domini in terra aliena, et deserto monte Sina, Ægypti auxilium flagitabam. Non recordabor Evangelii, quia qui de Jerusalem egreditur, statim incidit in latrones, spoliatur, vulneratur, occiditur. Sed licet Sacerdos despiciat atque Levites, Samaritanus ille misericors est, etc. Maleficum quidam me garrunt: titulum fidei servus agnosco. Magnum vocant: et Judæi Dominum meam. Seducor: et Apostolus dictus est. Tentatio me non apprehendat nisi humana. Quotam partem angustiaram perpressus sum, qui Cruci milito? Infamiam falsi criminis imputarunt; sed scio per bonam et iudam famam perveniri ad regna cælorum. Cætera longum est persequi. Tempus vix potuit denotari manifestius: quandoquidem spirantibus Etesiiis scribere hæc se, jam jamque solvere e portu, notat, quod est, Augusto mense hujusce anni 385. tam jam Damasus fato functus esset, quem Beatæ

memoriæ titulo donat, et quem præcedentis proxime anni mense Decembri, ostendimus obiisse. Addit, ne contigisse hæc serius putes, *penè triennium* se cum Romanis vixisse. Venit autem, ut certis argumentis evicimus, Romam anno 382, circa septembrem.

CAP. XVII.

I. In Orientem Hieronymus navigat. II. Quo proficiscuntur S. quoque Paula et Eustochium. III. Una omnes invisunt Palæstinam, et Loca Sancta. IV. Ægyptum etiam et Nitriæ Monasteria lustrant. V. Bethlehemem se recipiunt, ibique sedem figunt.

I. Hieronymianæ in Orientem navigationis historia percipi haud potest per partes melius, quam ab ipso met, qui ejus perquam attente memor est lib. III. in Ruffinum, eamque ad æmuli retundendas cavillationes, luculentissimis verbis narrat: Vis, ait, nosse perfectionis meæ de Urbe ordinem? Mense Augusto, flantibus Etesiiis, cum S. Vincentio presbytero, et adolecente fratre, et aliis Monachis, qui nunc Jerosolyman commorantur, navim in Romano portu securus ascendi, maxima Sanctorum frequentia prosequente. Veni Rhegium: in Scyllæo litore paululum steti, ubi veteres didici fabulas, et præcipitem fallacis Ulyssis cursum, et Syrenarum cantica, et insatiabilem Charybdis voraginem. Cumque mihi accollæ illius loci multa narrarent, darentque consilium, ut non ad Protei columnas, sed ad Jonæ portum navigarem (illum enim fugientium et turbatorum, hunc securi hominis esse cursum) malui per Maleas, et Cycladas Cyprum pergere, ubi susceptus a Venerabili Episcopo Epiphiano, cujus tu testimonio gloriaris, veni Antiochiam, ubi frui sum communionem Pontificis Confessorisque Paulini: Et deductus ab eo media hyeme et frigore gravissimo, intravi Jerosolymanam. Vidi multa miracula, et quæ prius ad me fama pertrulerat, oculorum judicio comprobavi. Inde contendi Ægyptum, lustravi monasteria Nitriæ, et inter Sanctorum choros, aspides latere perspexi. Protinus concito gradu Bethleem meam regressus sum, ubi adoravi præsepe, et incunabula Salvatoris. Vide quoque famosissimum lacum, nec me inerti tradidi otio, sed multa didici quæ ante nesciebam. His totam rerum suarum ab Urbe ad Bethleem historiam complectitur S. Pater, quam hoc nos capite latius et per partes descriptum imus.

Sed prius quædam de Pauliniano Hieronymi fratre (Vincentius enim, quem alterum nominat itineris sui socium, satis ex superioribus innotuit monenda sunt. Hunc S. Pater videtur paulo ante, cum scilicet Romam accessisset, de patria Stridone, ad sui contubernium evocasse. Quod ejus nulla, cum pariter in Urbe degerent, facta sit mentio, puerili ejus ætate, adtribuimus, qui, nisi rationibus subducendis fallimur, ne hoc quidem anno, quo Roma in orientem navigavit, vigesimum videtur ætatis attigisse. Frustra itaque sunt, qui nunc accessisset necne tunc Monachi proposito, disputant: strenue autem falluntur qui multo etiam pridem, et Syriam adveniit Hieronymo

comitem fuisse, ibique in eremo pariter servisso Christo, arbitrantur. Recurret de eo sermo iterum, et sæpius. Cætera prosequamur.

II. S. Paula, quam multo antea Jerosolyma invensæ cupido incesserat, (siquidem abeuntibus Epiphonio et Paulino e Romana Synodo, cum ipsis in orientem navigare optaverat) postquam eo contendit Hieronymus, statim iter una cum Eustochio filia sua arripuit. Statim, inquam, nam et ante Hieronymum, si per vias dudum initas rationes liceret, dicenda esset viæ se dedidisse. Si enim cum fato functa est initio anni 401. Augusto scæcis et Aristeneto Coss. in Bethleem, annos viginti jam degerat, ut in ejus Epitaphio S. ipse Pater testatur, jam ante 385, atque adeo ante ipsum Hieronymum, Roma debuit discessisse. Sed termino utroque incluso, et rotundo præterea numero (quod facere in his amat) S. Doctorem ibi usum, credere nos alius cogit ejusdem locus, nisi interpolatus ille est, in fine dudum laudatæ ad Asellam Epistolæ, ubi discedens e Romano portu, inter cæteras sanctas feminas salvere ipsam quoque Paulam et Eustochium jubet. Quin etiam cum ipsis pariter navigasse videri possunt, siquidem unus idemque est, quem et ipse tenuit, earum itineris ordo, qui Epist. CVIII. describitur, per *Maleam et Cytheram sparsasque per æquor Cycladas*, Cyprum usque et Seleuciam, et denique Antiochiam. Atque hac quidem in urbe nihil est dubium, quin una fuerint, et quin reliquum ab ea per Palæstinam, perque Ægyptum iter una confecerint. Nam et *media hyeme*, et a Paulino æque atque ipsæ, deductæ illæ dicuntur Jerosolymam: et se Bethleem advenisse cum Paula, ac deinde ejus rogatu Alexandriam perrexisse, testatur S. ipsemet Pater, alterum in Præfatione ad Osee, alterum laudata dudum Epistola: in qua etiæ accuratissima illa descriptione locorum, per que transierant, et rerum quas Paula admirata est, gestorum denique in singulis, dictorumque ejus pro renata: comitem se lateri ejus, nullo non loco prodit. Quod igitur ibi sub Paulæ nomine iter describit Antiochia ad Palæstinæ, atque Ægypti civitates et monasteria, suum quoque iter est, et nos perinde atque de seipso narraret, huc referemus.

Nominat vero ea tantum loca, quæ Sacris Voluminibus continentur. Ducto initio a Sareptæ litore, per arenas Tyri venit Acco, et per campos Mageddo ad terram Philistiim: intravit deinde Dor, sive Stratonis turrim, et Antipatrida, et Lyddam, Arimachiam quoque et Nobe, ad Joppem usque, fugientis portum Jonæ. Hinc itinere Nicopolim versus, sive Emmaus, repetito, ascendit Bethoron, ad dexteram aspiciens Ajalon, et Gabaon, inque ipsa Gabaa urbe, ad solum usque diruta, paululum subsistit. Intravit denique Jerosolymam; cumque Proconsul Palæstinæ, qui familiam Paulæ optime noverat, præmissis Apparitoribus, jussisset parari Prætorium, elegit illa, atque ipse adeo, qui lateri ejus adhærebat Hieronymus, humilem cellulam; et cuncta loca tanto ardore ac studio circumvivi, ut nisi ad reliqua festinaret, a primis non vossset ab-

duci. Longum nimis esset ea persequi quæ prope modum innumera a singulis quibusque locis captat mysteria. Ita nempe ille omnia perillustravit diligenter, ut comites etiam sibi adjunxerit sapientissimos ex Judæis, ad loca potissimum, quæ in Scripturis memorantur, eorumque nomina, quibus ipsa rei significatio continetur, penitus internoscenda: maxime quia de veteri illa denominatione, sæpe etiam statu fuerant pleramque partem, postquam Romanorum Imperio subjecta sunt, aliis nominibus donata, et pristina fere deleta vestigia. Adeat ipsam Epistolam, qui hæc recenseri sibi omnia desiderat. Sed non illud prætermittamus, videri eum scilicet hac occasione omnes Veteris Testamenti libros ex Origenis Hexaplis descripsisse, quorum antiqua exemplaria in Cæsariensi Bibliotheca repererat. Horum ope illam deinde Emendationem ex Græco adornavit, quæ tamen jamdudum olim, ipsoque advivente Hieronymo, maxima ex parte interciderit, in magna tamen continuo fuit Ecclesiarum æstimatione, qua parte superavit, et nullis non probæ recensionis laudibus abundavit. Redibit de eadem inferius sermo.

IV. Lustrata perquam diligenter Palæstina, in Ægyptum Hieronymus, eadem socia itineris Paula contendit, ut Nitriæ Monasteria, quorum fama ingens percrebuerat, et ad quæ omni studio pariter ferebantur, inviseret. Occurrit illis Sanctus et venerabilis Hermopoleos Episcopus Isidorus, tum innumera Monachorum turbæ, quorum aspectu valde quidem ad gloriam Domini lætati sunt: indignos autem se tanto honore fatebantur. Viderunt Macarios, Arsenios, vel Arsisios, Scrapionas, et reliqua columnarum Christi nomina, quorum et cellulas intravere. per singulos Christum se videre credentes. Verum Hieronymo in Ægyptum proficiscendi non illa unice causa fuit, ut Nitriæ monasteria perlustraret; sed ea quam in Præfatione Commentariorum in Epistolam ad Ephesios tradit, *Ob hanc*, inquit, *vel maxime causam Alexandriam perrexi, ut viderem Didymum et ab eo in Scripturis omnibus quæ habebam dubia sciscitarem*. Alibi, sive Præfatione in Oseam rogatu Paulæ illud se ait iter suscepisse. *Ante annos*, inquit, *circiter vigintiduos, quum rogatu sanctæ et venerabilis socrus, imo matris tuæ Paulæ... essem Alexandriæ, vidi Didymum, et eum frequenter audivi, virum sui temporis eruditissimum, rogavi eum, ut quod Origenes non fecerat, ipse compleret, et scriberet in Osee Commentarios: qui tres libros, me petente, dictavit*. Hos libros et sibi ab eo inscriptos, testatur ipse de viris Illustribus cap. CIX. et Apologia ultima contra Rufinum. Qui alios præterea quinque in Zachariam, et tres in Michæam eidem dedicatos existimant, falsa lectione, ut suis locis notatum est, decipiuntur. Sed ad propositum ut revertamur. Epistola quoque LXXXIV. ad Pammachium, *Perrexi*, inquit, *Alexandriam, vili Didymum, et in multis ei gratias ago: quod nescivi, didici: quod sciebam, illo docente, non perdidit*. Nimirum sibi minime persuaderi passus est ejus dogmata, quæ errores Origenis confirmatum

ibant, quos jam solerter deprehenderat. Subinde etiam *Didymi videntis* discipulum se gloriatur : et Epistolam observantiæ plenam ad eum dedisse, ex *Ruffino* colligimus. Et huic tamen si credimus (nihil autem est, quod hoc vetet) *Non totos triginta dies Alexandria, ubi erat Didymus, commoratus est* (*Invect. lib. II*). Neque hac ex parte S. ipse Pater repugnat, quin potius verbis illis consentit : *Protinus concito gradu Bethleem meam reversus sum* (*Lib. II. contr. Ruff.*) : quibus etiam indicat se antequam ad Didymum accederet, non postquam ab eo discessit, ut alii sentiunt, Nitricæ Monasteria lustrasse. Ut ut se res habue-rit, nulli se unquam illum, in peragrandis regionibus, labori subduxisse apparet, vel ut ex pluribus arriperet exempla pietatis, vel ut eximios rerum divinarum scientia magistros audiret. Insignis in eam rem locus est in Præfatione ad *Librum Paralipomenon* juxta Septuaginta, quem et supra innuimus ex parte. *Quomodo, inquit, Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint, et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leucaten et Acrocerania ad Siciliam, et inde ad ostia Tiberis navigarint : ita Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Judæam oculis contemplatus est, et antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula, vel mutata cognoverit. Unde et nobis curæ fuit, cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universæ Christi Ecclesiæ sonant.*

V. Ab hoc itaque itinere reversus statim est Bethleem suam, ubi primum adoravit præsepe et incunabula Salvatoris, tum loci captus religione, cum sanctissimis, qui aderant, Monachis, sedem ibi figere deliberavit. Olim Ephrata vocatus est locus iste, quemadmodum et in *Quæstionibus Hebraicis* ipse testatur, et in *Libro Locorum* ex *Eusebio* : *Ephrata, regio Bethleem civitatis David, in qua natus est Christus.... juxta viam ubi sepulta est Rachel, quinto milliario ab Jerusalem (Dial. I)*. Uno plus dicit, sive sex passuum millibus abfuisse ab *Jerosolyma*, *Severus Sulpitius*, qui oram illam aliquando invisisse dicitur, sexque ibi degisse apud Hieronymum menses. Omnino autem posita erat Bethleem in meridiana plaga juxta viam quæ ducit *Chebron*, et tribui *Juda*, non *Benjamin* adnumerata, *sexdecim ab Alexandria mansionibus* distans, *ab Joppe quadraginta sex millibus* (*Epist. CXXIX*). Neque vero in civitatis tunc censu erat, sed ignobilis viculus, cui succedebat vastissima solitudo plena ferocium barbarorum. Verum quod fuerit Salvatoris nostri *Jesu Christi* ortu nobilitatus, eaque etiam de causa esset eo concurrentium religione percelebris, cæteris præfertur omnibus orbis civitatibus, atque ipsa dicitur augustior *Roma*. Super ipsum specum, unde *Salus mundi* emersit, *Ecclesia* constructa erat, et super ipsum præsepe, in quo *Agnus Dei* reclinatus est, erectum altare. Proxime ab illo specu sita erat cellula *S. Patris*, ex qua illud cum ingredi olim prohibitus est, commode aspicere tamen potuit. Procul tamen erat a via publica, in diverticulo, cujus semita ab *Archelai regis quondam Judææ* (*Lib. Loc.*),

seu verius *Ethnarchæ*, tumulo incipiebat. Construxit ibi, triennio post, *Paula duplex Monasterium*, et diversas excipiendis peregrinis mansiones. Monasterium unum *virgines* incolebant, quas illa e *diversis provinciis congregarat tam nobiles, quam mediis, et infimi generis*, et ut vulgo edam libri præferunt, *in tres turmas, monasteriaque divisit. Earum hoc erat vitæ genus, ut in opere et cibo separatæ, psalmodiis, et orationibus jungerentur. Die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cujus habitabant latere ; et unumquodque agmen matrem propriam sequebatur. Unus omnium habitus. Linteamine ad tergendas solum manus utebantur. A viris tanta separatio, ut a Spadonibus quoque sejungerentur. Alterum Monasterium viris tradiderat gubernandum : nec dubium est, quin præcipue Hieronymo curam ejus dereliquerit. Eadem quoque plus minus eorum fuerit administratio, atque illa mulierum. Et vero de his quædam attingimus in eam rem, ut possint huc etiam pro sexus ratione atque vitæ referri, cum reliquis, quæ late S. Pater in ea *Epistola CVIII. ad Eustochium* persequitur, et repeti ab eo loco velim.*

Cæterum nihil magis ad ejus solitudinis indolem percipiendam facit, quam quæ ab iisdem *Paula*, filiaque ejus *Eustochio* ad *Marcellam* missa est *Epistola* in nostra recensione *XLVI.* cui conscribendæ sensus atque ipsa identidem verba præstitisse *Hieronymus* videri possit. Scripta certe est uno eodemque animo statim atque in *Bethleem* pariter constiterunt, sedemque ibi perpetuam figere deliberarunt. Nullas non loci laudes, et recessus opportunitates, ad sanctissime transigendam vitam, commemorant, quo animum eo commigrandi *Marcellæ* accendant : quæ si, relicta demum *Roma*, *Bethleem* se conferat, fruitura sit omnibus *Christi* monumentis in locis, in quibus pleraque religionis nostræ mysteria peracta sunt. Id vero neque ante hunc annum *386* gestum censeri illo modo potest, cum sub præcedentis proxime anni finem *Paula Jerosolymam* navigarit : neque postponi commode, cum ex ipsius *Epistolæ* initio satis appareat, scriptam fuisse cum primum mittendarum occasio litterarum incidit. Nec tamen diffiteor, parum credibile videri posse, *Marcellam* ante *Albinæ* matris obitum fuisse ab iis ad *Bethleemi* recessum evocatam, ne quam ejus maxime contubernio atque ope ob senectutem indigere sciebant, hortari ut desereret, viderentur. Indicio etiam esse, illam cum hæc data est *Epistola*, jam diem suum obiisse. neque enim a filia salutem ei dici *Paula* et *Eustochium* jubent : id quod sub *Epistolæ* saltem finem, si advixisset, par credere est, minime prætermisuras. Fato autem functa est *Albina*, ut inferius constabit, insequenti anno *387*, illaque adeo *Epistola* post aliquod temporis interval- lum ab illius obitu, et subsequenti, ut citius, anno scripta videatur. Verum minime adduci ego possum ex rerum serie, ut credam, *Paulam* et *Eustochium* *Marcellæ* in spiritu, ut ita dixerim filias, passas biennium saltem effluere, antequam ad eam, a qua tam se ægre divulsas ferebant, literas darent, et illud

tandiu compressisse desiderium quod ejus consuetudinis faciendæ impatientia gerebant. Sed neque ita opinari permittunt prima statim Epistolæ ipsiusmet verba: *Mensuram caritas non habet, et impatientia nescit modum, et desiderium non sustinet.* Et paulo post: *Quod solum absentes facere possumus, querulas fundimus preces, et desiderium nostrum non tam flelibus, quam ejulatibus contestamur, et cætera, quæ tute luc referas.*

CAP. VII.

- I. Quod fuerit Hieronymi vitæ genus in Bethleem.
- II. Num ejus Ecclesiæ Rector, ut Sulpitio dicitur, fuerit? III. Scribit in quatuor Pauli Epistolas Commentarios. IV. Num et reliquas omnes exposuerit? V. Ejus descriptionis in universum indoles juxta Hieronymi sensum.

I. Tranquillitati, quam semel in Syria gustaverat S. Pater, redditus demum in Bethleem, totum se pietatis erga Deum cultui totum rerum divinarum contemplationi ac studiis, quæ duo sunt Sacerdotum arma, dedicavit. Esse aliquid, non videri cupidus, cellula claudabatur (*Ep. LXXXII*), et in eo qui intra nos est homine, non qui extra nos, per virtutum quotidie gradus proficere satagebat. Alicubi testatur ipse, ideo se eremi latebris clausisse, ut *adolescens deflectens peccata, Christi in se misericordiam deflecteret* (*Contr. Jo. Jeros.*): alibi ait, ut vel præterita plangeret vitia, vel vitare niteretur præsentia: item ut paratior ibi diem Domini, sive judicii præstolaretur. Vile olusculum et cibarius panis, atque is quidem oppido parcus et moderatus, quem, ut testatur Palladius (*Laus. c. 10*), cum reliquis ad vitam sustentandam necessariis de Paulæ largitionibus accipiebat. Jejunia longa, somni breves, et quos vel lumi tantum, vel in storea abjectus capiebat. *Veste utebatur contempta*, tametsi alicubi *mundiore* usum se indicet (*Contr. Jo. Jeros.*). Neque enim qui monachum tunc agebat, externo id corporis cultu proferri cogebatur, tantum simplicitatem Christianam habitu præferret. His accebat, immo animam vitamque actibus inspirabat, virtutum omnium quæ essent Christiano, et perfectiorem Christi imitationem profitente dignæ, usus assiduus. Quod supererat orationi tempus, interdium docendo, noctu legendo conterebat. In Scripturarum meditatione totus erat, quas nulla non die Paulæ præsertim, atque Eustoquio explicabat (*Invektiv. II*). Prodit Rufinus, quamquam obrectandi animo, illum præterea nobilium pueros sibi commissos in Poetarum ac Rhetorum litteris instituisse. Quam criminationem adeo non timet S. Pater, ut nec refellere dignetur, eaque dissimulatione significet, se ad instar Pauli, omnibus omnia factum, gloriari, ut omnes Christo lucrificeret, omni sexui, omnique ætati semet accommodasse. Et sane in dies magis magisque confluebant ad eum ex toto undique terrarum orbe ætatis diversæ homines, non tam locorum religione, quam ejus celebritate nominis, doctrinæque admirabilitate ducti, et ma-

joris rerum divinarum notitiæ adipiscendæ causa.

II. Sed mirum illud, imo incredibile, quod tradit de Hieronymo Postumianus in Dialogo apud Sulpitium Severum, eum scilicet, tantis licet, tamque diversis solitariæ vitæ muniis occupatum, Ecclesiam quoque illam quæ erat in Bethleem rexisse. *Ecclesiam, inquit, loci illius Hieronymus Presbyter regit: nam parochia est Episcopi qui Jerosolymam tenet.* Neque vero hic falli potuisse hac in re videtur, siquidem et veritati cætera consentanea sunt, quæ de illo narrat, et se testatur *sex mensibus* apud eum fuisse. Et falli eum tamen, ex Epistola inter Hieronymianas LI. Sancti Epiphani ad Joannem Jerosolymitanum, quam superius laudavimus, perspicuum est. Enim vero ex ea constat, Hieronymum ab ordinatione sua ad annum usque 394, ne in monasterio quidem voluisse unquam *propter verecundiam et humilitatem* Presbyteri officio fungi, *et debita nomini suo exercere sacrificia, et laborare in ea parte ministerii, quæ Christianorum præcepta salus est: curam videlicet animarum agere.* Quid quod olim cum similitates atque odia Joannes contra Hieronymum exerceret, ut ab ipso discimus S. Patre, fuerit aliquandiu ipse sui que fratres ab ejus ecclesiæ ingressu prohibiti? Quæ quidem sunt qui conciliari posse ita putent, si ab eo tempore Sulpitium loqui existimes, quo reditum utrumque est in gratiam, anno 398, ut volunt, quum Sulpitius eo accessit, jamque illud muneris in se Hieronymus cum Pauliniano fratre susceperat. Verum neque constare hoc potest, neque veri similitudinem ullam habet. Si enim S. Pater ab eo quod in Ordinatione sua proposuerat, dimoveri tunc minime potuit, atque exorari, ut in monasterio saltem sacris operaretur, quum ab Ecclesiæ publicæ ingressu arcebat: quis sibi persuadeat post reconciliatam cum Joanne amicitiam, cum potuit pro lubitu in ea Ecclesia rei sacræ interesse, neque ejus erat ministerio opus, a proposito discessisse: maxime cum alii jamdudum fuissent pluresque Presbyteri eidem Ecclesiæ præpositi, neque ab eo tempore, quo S. Pater a Joanne dissidebat, ullam ejus rei necessitatem recurrisse intelligamus. Ut enim transeat, quod minime tamen dabo, Bethleem aliquando concessisse Sulpitium, idque anno 398; transeat etiam fuisse tum initam cum Joanne pacem, quæ post biennium sarta est, nisi rationes nostræ nos fallunt: sane diu etiam ab eo tempore imposterum ibi vixit Hieronymus, et continuo tamen, sicubi vita suæ meminuit, eam se agere cum monachis omnino solitariam significat. Sic Epistola CXVII. quæ anno scripta est 409, se ait *clausum cellula, et procul a turbis remotum*, quæ certe Ecclesiæ Parochialis Præfecto nequaquam congruere possunt. Præterea quanta illi esset justi reverentia, et quam sedulo caveret, parochialia jura ne læderet, declarat ipse toties laudato contra Joannem libro, verbis, atque exemplo in rem nostram locupletissimo. *Quis scindit Ecclesiam? Nos: quorum omnis domus Bethleem in Ecclesia communicat? an tu, qui etc.? Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses circa dies Pentecostes, quum*

obscurato sole, omnis mundus jam jamque venturum judicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis et sexus Presbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certe quinque Presbyteri erant in monasterio, qui suo jure poterant baptizare, sed noluerunt quidquam contra stomachum tuum facere, ne et hæc tibi de fide reticendi daretur occasio. An non tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethleem Presbyteris tuis, ne Competentibus nostris in Pascha baptismum traderent: quos nos Diospolim ad Confessorem et Episcopum misimus Dionysium baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras locum Ecclesiæ non habemus. Sed hæc, inquit, quæ gratiæ reconciliationem præcesserant, spectant. Esto, ut voles ex præconcepta opinione: sed utique ea sunt, ex quibus jure deinceps liceat de reliquo vitæ genere argumentari, et quale ingenium fuerit S. Patris, et quis animus, monstrent.

Sulpitius itaque benigno lectore, et commodo opus habet interprete. Ego ita accipio, ut privatam monasterii Ecclesiam, seu conventum, si mavis Latine de Ecclesiasticorum phrasi, dixisse voluerit abs Hieronymo administratum. Atque hoc quidem sensu vero dixerit: nam et primas ille partes ibi sustinebat, et nihil ad fidem propius, quam fratrum conventibus fuisse eum et virtutum merito, et Presbyterii honore præpositum. Conveniebant nempe in unum locum quotidie ad preces et psalmodias, eaque privata erat Ecclesia; nec certe par credere est, quo tempore Hieronymus cum suis ab Ecclesiæ publicæ ingressu prohibitus est, ab illo pietatis erga Deum actu cessasse, et tam longi temporis spatium Monachos sine precibus communibus traduxisse. Ibi S. Pater totum Monachorum cœtum sacrarum Scripturarum doctrina instruebat, novasque in dies propositas ex earum prælectione difficultates *Κατωτοῦ* instar explanabat, Quamobrem et in Præfatione ad versionem Libri Paralipomenon ex Hebræo, LXX. inquit, *Interpretes in Conventu fratrum semper edissero*: et in fine Epistolæ CXII. ad Augustinum, quæ anno data est 404: *Tu, ait, qui juvenis es, et in Pontificali culmine constitutus, doceto populos, etc. Mihi sufficit cum auditore et lectore pauperculo in angulo monasterii susurrare.* Ejusmodi alia quædam in Hieronymianis scriptionibus testimonia invenies, quæ nobis referre huc singillatim longum esset, fortasse etiam a proposito devium; duo enim ista in eam maxime rem laudavimus, ut contra atque sensisse videtur Sulpitius, et diu post ejus temporis notationem, non aliam constet abs Hieronymo administratam Ecclesiam, quam quæ privata in monasterio cogebatur, et propiore vocabulo *Conventus* ei dicitur (*Lib. contr. Jo. Jerosol.*). Invenies autem et quæ loca testentur, ingentem fuisse degentium ibi Monachorum, atque aliorum eo confluentium numerum, ut jam non sufficeret constructum a Paula monasterium, sed et diversorium propter extrui peregrinis excipiendis necesse fuerit; quibus una omnibus Hieronymus præerat. Ex his quatuor etiam aut quinque erant Presbyteratus (cujus tamen munia nunquam obirent propter humilitatem)

gradu ornati, ut ex superius laudato contra Joannem testimonio intelligimus. Ex quo item licet colligere, quanta eorum esset, qui eo conveniebant, vitæ ejus amore ducti, frequentia: siquidem ad quadraginta usque diversæ ætatis et sexus de nondum baptizatis, seu recens conversis, quandoque ibidem dicuntur existisse. Sed et Episcopum nescio quem Paulum nomine, quem Theophilus persequebatur, fuisse ibi Monachis cooptatum, ex Libro tertio in Rufinum conjicimus. Quem locum S. ipse Pater his verbis concludit: *Nobis in Monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus, etc.* Et luculentius antea Epist. LXVI ad Pamnuchium: *Nos in ista provincia, ædificato Monasterio, et diversorio propter exstructo..... tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, ut nec cœptum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus. Unde quia pene nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante supputaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad patriam mittere, ut seminatas villulas, quæ barbarorum effugerunt manus, et parentum communium census venderet, ne cœptum Sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis et æmulis præbeamus.* Sed hæc hactenus.

III. Monachorum erat, quod sæpius S. ipse Pater fatetur, labore manuum sibi victum querere: sed satius ipse sibi, atque utilius universæ Ecclesiæ consultum fore existimavit, si manuum labori studium Scripturarum substitueret. *Magis utile, inquit, quid ex otio meo Ecclesiæ Christi venturum ratus, quam ex aliorum negotio (Præf. in Job ex LXX).* In primis itaque se ad linguam Hebraicam retulit: quam etsi probe calleret, voluit tamen, quoad ejus fieri potuit, penitius adsequi. Præceptore tunc usus est quodam Barabba, sive Baranina (utroque enim modo appellat) qui cum suorum odia incurere eam ob rem timeret, noctu tantum ad Hieronymum accedebat, unde et *nocturnus magister* ei dicitur. Prodit diu post de se ipse, quod hanc linguam, *quam ab adolescentia multo labore ac sudore didicerat, infatigabili meditatione nunquam deseruerit, ne ab ea ipse desereretur (Epist. CXVIII).* Ab hoc autem studio, ad Scripturarum Interpretes gradum fecit, quorum non unum atque alterum, sed quotquot fuerunt anto ipsum, sedulo evolvit, adeo ut nemo sive Græcos sive inter Latinos Patres, plures quam Hieronymus Auctores legisse videatur. Lectioni deinde scriptionem adjecit: in qua facilem adeo, et sensus sponte sua, ut ita dixerim stilum sortitus est a natura, ut una interdum lucubratione Commentarii in Scripturam conscribendis mille versus, seu lineas exararet, et singulis diebus singulos Veteris Instrumenti libros ex Hebræo converteret. Assiduus adeo etiam hac in re fuit, ut nulla non die sacrarum studiis Literarum distineretur, id quod Postumianus apud Sulpitium Severum (de quo superius multa) insigni elogio illo testatur: *Totus in lectione, totus in libris est: non die non nocte requiescit: aut legit aliquid semper, aut scribit (Dial. II).*

IV. Sed scripta ejus peculiaria juxta historiæ ordinem recenseamus. Petierant ab eo Paula atque Eustochium, ut in Pauli Epistolas, quas nemo antea Latinorum fuerat interpretatus, Commentarios scriberet. Quibus ille ut faceret satis, a breviori, et magis expedita, quæ est ad Philemonem, initium fecit. Sumpsit *post aliquot dies* exponendam illam ad Galatas, quam tribus libris absolvit. In his *Origenem secutus*, novam de S. Petri cum Paulo disputatione litem commovit, de qua pluribus deinde in utramque partem ipse, atque Augustinus Epistolis contendentur. In Præfationibus, quod hæc prope dictare cogeretur, et quod neque excogitatum opus appareat, neque admodum limatus sermo, sæpius excusat. Recolenda in hanc rem pauca quædam ex Præfatione tertia : *Omnem*, inquit, *elegantiam, et Latini eloquii venustatem stridor lectionis Hebraicæ sordidavit. Nostis enim et ipsæ* (Paula atque Eustochium) *quod plusquam quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam Gentilium literarum quilibet Auctor ascendit : et si quid forte dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius insatigabili studio, aliorum judicio derelinquo : ego quid in mea amiserim, scio. Accedit ad hoc, quia propter oculorum, et totius corpusculi infirmitatem, manu mea ipse non scribo, nec labore et diligentia compensare quo eloquii tarditatem : quod de Virgilio quoque tradunt, quia libros suos in modum urarum sætuum lambendo figuraverit. Verum accito Notario, aut statim dicto quodcumque in buccam venerit : aut si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, et frontem rugat, et se frustra adesse, toto gestu corporis contestatur.* Neque est prætereundum, quod ad rerum Hieronymianarum historiam spectat, nuntiatum fuisse sibi, cum hisce adornandis in Epistolam ad Galatas Commentariis animum adjecisset, Albinam *renerabilem anum*, Marcellæ matrem, obiisse. Adhæsit huic statim, matris contubernio destitutæ, Principia, quæ post Hieronymi ab Urbe discessum in sui locum successerat : unaque ambæ in suburbanum agrum, tamquam in solitudinem sese receperunt. Rem narrat S. ipse Pater partim Præfatione in primum Commentarium, partim Epist. CXXVII. quod est Marcellæ Epitaphium.

Porro autem inceptum sedulo persecutus, subsequentem ad Ephesios Epistolam exponendam, ut alias fecerat, sumpsit, et tribus itidem libris absolvit. Et Paulæ quidem atque Eustochio de more inscripsit, sed et Marcellam, quam vocat *unicum viduitatis exemplar*, in Præfatione priore nominat, ut ad eam quoque transmitti opus hoc suum velit, ea cautione adhibita ut ne maledicis atque invidis legendum tradat. Quin etiam *id ipsum per Epistolas flagitasse* illam abs se, indicat Præfatione secunda, inque ejus gratiam hæc se adornare significat, *nova subinde Romam munuscula transmittenda*. Denique ad Titum quæ inscribitur, paulo post singulari eoque brevi Commentario

explanavit. Nihil quod propositum nostrum spectet in ea Præfatione monuit. Ad Capitis autem primi versum undecimum se ait, *ante paucos menses tria volumina in Epistolæ ad Galatas explanationem diclasse* : ex quo luce meridiana clarius est, hosce universos in quatuor Pauli Epistolas Commentarios fuisse non eodem modo anno, sed anni etiam parte, seu paucorum spatio mensium elaboratos. Neque porro alium videri diximus suis locis, quam 387, vel insequentem : id quod uno atque altero præterea argumento confirmare libet. Atque illo cum prinis, quod se ait S. Pater *ab annis plusquam quindecim* nullum Gentilium literarum Auctorem in manus sumpsisse : ab eo scilicet, ut nihil dubium est, tempore, quo per somnium admonitus, cum se Calcidis eremo abdidisset, profanorum Scriptorum lectioni jure jurando renuntiavit. Huic autem temporis notationi si quindecim illos annos addas, ad hunc nimirum devenies, quem diximus 387. Id ipsum Rufini comprobatur testimonium libro Lectivarum secundo (quem scis nempe scriptum anno 401), ubi Commentarium Hieronymi in Epistolam ad Ephesios *ante quindecim ferme annos scriptum* affirmat. Et Hieronymus quidem exactos jam supputavit ; Rufinus vixdum inceptos. Eadem denique Chronica nota elucet ex Præfatione Commentarii in Ecclesiastem, de qua erit sequenti capite dicendi locus. Quod igitur ait S. Pater Libro primo contra Rufinum de expositione sua in Epistolam ad Ephesios, *Decem et octo ferme anni sunt, ex quo istos dictavi libros, eo tempore quo Origenis nomen florebat in mundo*, omnino aut errore Antiquariorum in numericis notis laborat (siquidem nihil dubium est, eum anno 401, hæc adversus æmulum suum scripsisse) et *Quindecim ferme, sive XV. pro Decem et octo, sive XVIII legendum* est : aut quod putare malim, de eo tempore accipiendus est loqui Hieronymus, quo primum scriptionibus Origenis in Latinum refundendis manum admovit.

IV. Nihil vero aliud præterea Commentariorum in Apostolum elucubratur ab eo est : ut ipsemet indicat in suorum Catalogo operum, ubi istas duntaxat laudatas quatuor Epistolas abs se explicatas recenset : tametsi illam ad Philemonem, a qua initium Explanationis suæ fecit, postremo loco collocat, ordinem potius Scripturarum, quam temporis secutus. Aberrant itaque a vero longissime, qui totum fuisse abs Hieronymo Apostolorum Commentariis illustratum jam inde a Cassiodorii ævo arbitrati sunt. Eucum, opinior, fecit studiosis viris locus ille Prologi alterius libri in Epistolam ad Ephesios, ubi ἀπὸ; S. Pater, *Pauli*, inquit, *Epistolas conamur exponere* : quod de universis dictum acceperunt, cum vel solas has quatuor spectet, vel certe propositum modo indicet atque spectet, quem in reliquis scribendi habebat, numquam autem explevit. Neque hac fine sicuti malum, subinde enim invenire est in antiquis libris Hieronymo adscriptus *Commentarius in omnes Pauli Epistolas*, illa quæ est ad Hebræos excepta. Tanta

oim fraudem inferre librarii ausi sunt, quæstus gratia, ut opus a nequissimo hæretico, et si Superis placet, nominis Hieronymiani hoste infensissimo elucubraturum, ipsi Hieronymo adscriberent. Sed est jamdudum inter supposititia amandatum, nosque in hunc rejecimus Operum id genus tomum, eaque de re satis in præfixa Admonitione diximus.

V. Sed sunt quædam in antecessum de ratione qua Commentariis elucubrandis usus est S. Pater, semel hac primum oblata occasione animadvertenda, ne eadem sæpius replicare, cum alios deinceps ad finem usque recensebimus, necesse sit. Ille enim cum ingenio suo in Scripturis exponendis diffideret, quod sciret illas non ex arbitrio, sed esse ex majorum traditionibus interpretandas, ad eos confugiebat, qui in eum Librum, quem sibi explicandum proponeret, antea aliquid edidissent. Ita vero sedulo omnes pervestigabat, ut suam nemo videatur diligentiam effugisse: legebat ita propositi sui attente memor, ut nihil eorum quæ ad rem suam facerent, præteriret, nihil non transferret in sua. Et laudabat quidem in Commentariorum exordiis sæpe eorum nomina, quos sequeretur; sed et sæpe prætermittenda faciebat, cum magis opportunum videri poterat, atque eorum tamen opiniones suimet operis contextui insererat. Id autem abs se factum ait ex quadam, ut ipse autumat, Commentariorum lege, in quibus multæ diversorum ponuntur opiniones, vel tacitis, vel expressis Auctorum nominibus, ut Lectoris arbitrium sit, quid potissimum eligere debeat, discernere. Atque hinc modo sua, modo se aliena dictare profitetur in Præfationibus, ita tamen ut difficile internosci aliena ab suis possint, nisi ab eo, qui Auctores omnes, a quibus ille excerptis, legerit, eorumque dicta ac sententias in numero habeat. Sæpe adeo vel a Ruffino, qui ei dicam ea de re multam dixit, vel ab aliis, de opinionum, quas dissimulato Auctore retulerat, levitate atque incommodo interdum sensu accusatus est, perinde atque de suo, aut certe de probata sibi auctoritate protulerit. Quibus hac una continenter responsione satis fecit, qua et ab Augustino se postulationibus defendit: *Si quid reprehensione dignum putaveras in explanatione nostra, eruditionis tuæ fuerat quærere, utram ea quæ scripsimus haberentur in Græcis, ut si illi non dixissent, tunc meam proprie sententiam condemnares, præsertim cum libere in Præfatione confessus sim... vel mea, vel aliena dictasse.* Paria his sunt quæ Ruffino reponit, et quæ ut recolas auctor sum: neque enim ut huc a nobis referantur, institutæ narrationis ordo permittit. Ac sane plurimum sua, et nostra ad Scripturarum doctrinam interfuisset, si uniuscujusque Auctores sententiæ de nomine laudasset, vel ex iis tantum in Commentaria sua transulisset probabilissimas opiniones vel denique regulam, quam sibi testatur proposuisse, *ut aperte confiteretur quæ sunt hæretica, et quæ sunt Catholica, sancte continuo observasset.* Sed quando aliis de causis satius ipse judicavit, Auctorum nominibus parcere, ne aliquem videretur lacerare: in hoc nos

S. HIERONYMI. I.

commodum Lectorum incubuimus, ut quæ loca ex aliis, Origene præsertim atque Eusebio S. Pater expressit, suis Auctoribus redderemus in Notis, vel ipso, cum licuit, apposito Græco textu, vel nomine saltem et libro Scriptoris indicato.

CAPUT XIX.

I. *Scribit in Ecclesiastem Commentarios. II. Quæstionum quoque Hebraicarum in Genesim: de locis item, deque Hebraicis nominibus libros singulares. III. Didymi librum de Spiritu Sancto in Latinum transfert. IV. Homilias quoque triginta novem Origenis in Lucam. V. Scribit in Psalmos a decimo usque ad decimum sextum Tractatus septem. VI. Denique Malchi captivi monachi vitam, et Beati Hilarionis.*

I. Et solitariæ vitæ tranquillitate, qua nihil est ad studia litterarum aptius, et Paulæ matris beneficentissimæ liberalitate usus Hieronymus, quæ jam in Ecclesiarum utilitatem cedere ingenii sui monumenta percæperat, iisdem elucubrandis in dies magis totum se animo et viribus devovit. Statim ab Epistola ad Ephesios, scribere in Ecclesiastem aggressus est: tam sane brevi atque exiguo temporis interjecto spatio, ut opus utrumque ipsemet libro contra Jo. Jerusalemitanum sub chronica una notatione conjungat. Quin etiam præpostero ordine hoc illi præferre videtur: *Ante annos, inquit, ferme decem in Commentariis Ecclesiastæ, et in explanatione Epistolæ ad Ephesios, arbitror sensum animi mei prudentibus explicatum.* Series autem rerum et quæ superius disputata sunt, satis manifesto evincunt, Commentarios in eam Apostoli Epistolam, istis in Ecclesiastem præcessisse: atque illos quidem anno 388, ad finem vergente adornatos, istos vero subsequentis 389 initio adscribendos. Id ipsum scriptionis historia, ipsiusque S. Auctoris locupletissimus in Præfatione locus testantur. *Memini, ait, me ante hoc ferme quinquennium, cum Romæ adhuc essem, et Ecclesiastem S. Blæsillæ legerem... rogatum ab ea, ut in morem Commentarioli obscura quæque dissererem, ut absque me postea intelligeret quæ legebat. Itaque quoniam in præinctu operis nostri, subita morte subtracta est... tantoque vulnere tunc percussus obtutui: nunc in Bethleem positus, augustiori videlicet civitate, et illius memoriæ, et vobis (Paula et Eustochium) reddo quod debeo.* Atque anno quidem 384 exeunte, cum tres fere menses fuisset in Hieronymi disciplina, diem obiisse Blæsillam, suo loco ostendimus: cui si alterum *ferme quinquennium* superaddas, ad hunc nimirum devenies annum 389 saltem inceptum, quo istos sentimus lucubratos, abs Hieronymo Commentarios. Quæ Explanationis ejus naturam, ut ita dicam, atque ingenium spectant, partim attingimus paulo superius, partim sunt ex ipsa Præfatione, atque operis contextu repetenda.

II. Ejusdem hujusce anni decursu, aut si libet ad subsequentis usque initia, videtur S. Pater tres alios diversi parum inter se argumenti Libros singulares edidisse, quos hoc ipsemet ordine in suorum Catalogo operum recenset: *Quæstionum Hebraicarum in (Trois.)*

Genesis librum unum. De Locis librum unum. Hebraicorum Nominum librum unum. In primo alterum ex his memorat, in altero primum ac tertium, atque in hoc duos priores: ut illos uno eodemque tempore eum præ manibus habuisse, ipsa hac recensione intelligas. Quin etiam primo in lucem edidit, quem ibi ordine postremum ponit; sive cum adhuc Hebraicis quæstionibus insudaret, et nondum librum de Hebraicis Locis edidisset, tertium de Nominibus vulgavit. Ferebatur hic liber jamdiu olim Græce a Philone primum deformatus, deinde Origenis studio auctus, sed perturbatus adeo et confusus, ut debitæ ex eo percipi utilitati parum consultum putarit Hieronymus, si tantum Latine verteret, non autem novum fere ex integro repararet. Profectus, quem in Hebraicis litteris fecerat, specimen atque experimentum hoc fuit, quod hac nimirum de causa hortatu fratrum Lupuliani (vel Lupuli, ut libri alii præferunt) et Valeriani scribendum suscepit, rei ipsius utilitate commotus, et quo fecisse se aliquid gloriatur, quod a Græcis quoque appetendum esset. Ut enim plerasque omnes quæ in Græco exemplari habebantur etymologias nominum retinuerit, ne Græcis quidem exceptis aliquot nominibus, præpostera olim cura intrusis: sæpius tamen de suo alias addidit, et eas quæ subabsurdæ viderentur, et contra linguæ Hebraicæ ingenium, violenta interpretatione explicari, professus est. Librum itaque nunc suum vocat, nunc Philonis, vel Origenis, et quædam se alicubi ait in libro Nominum Hebraicorum reperisse, quæ minime in hoc suo leguntur.

Editionis honorem subsequutæ sunt Quæstiones Hebraicæ in *Genesis*, novum plane opus, et tam Græcis quam Latinis prorsus antea inauditum, quo id sibi proposuit, ut vel eorum, qui de libris Hebraicis varia suspicabantur, errores refelleret, vel ea quæ in Græcis et Latinis codicibus scatere vitii videbantur, auctoritati suæ redderet. Eiusmodi quæstiones in cæteros quoque libros Scripturæ adornare in animo habuit, fortasse etiam adorsus est: id quod subinde innuit ipse, ut quum de re quadam locuturum se recipit, cum *Quæstiones in Josue* explicabit. Sed quemadmodum in Generali Præfatione ostendimus, aut nequaquam postea perfecit quæ ad rudem earum contextum informaverat, aut quod propius ad fidem videtur, mutato consilio, cum deinde Commentarios elaboraret, licis illis quæ tumultuario congresserat, utiliter usus est: vel denique quidquid illud erat operis, intra domesticos parietes cohibuit. Certe non alias præterea Quæstiones Hebraicas in suorum Catalogo operum, quem post ferme biennium scripsit, quam istas in *Genesis* recenset, ac recipit in foetum suorum censum. Postremo loco Librum de Locis vulgavit, quem Græce præscriptum ab Eusebio in Latinum transtulit, alicubi etiam mutavit, et nonnulli auxilium, ut ex Græci textu, quem e Hieronymianæ interpretationis regione edidimus, collatione perspicuum est. Hanc libertatem ita ipse excusat in Præfatione, *Semel enim et in Temporum libro præfatus sum, me vel interpretem esse, vel novi operis conditorem.*

Opposuit vero interpretationem hanc suam alteri, quam quidam vix primis imbutus litteris edere ausus fuerat, ut ex comparatione utriusque prudens Lector iudicium faceret.

III. His Didymi librum in Catalogo subnectit, quem in annum jam quintum premebat, ex quo illum Romæ, cum Damasus adhuc in vivis ageret, sive anno 384, ut suo loco monuimus, ad finem vergente cœperat Interpretari. Resumit eum itaque in manus et sive secundis curis totum recognoverit, sive reliquam modo partem, quam prætermiserat, in Latinitum verterit, eum sane diutius latere intra cellulæ suæ parietes minime passus est, sed honori, ut ipse loqui amat, editionis, hoc scilicet 389 anno ad finem properante, permisit, et Pauliniano fratri suo dedicavit. Rem totam narrat ipse in Præfatione: *Cum in Babylone, inquit, versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem, volui garrere aliquid de Spiritu Sancto, et ceptum opusculum ejusdem Urbis Pontifici dedicare.* Tum paucis interjectis de odio, quo apud Romanos laboravit, *Illico ego, subdit, velut postlininio Jerosolymam sum reversus, et post Romuli casam et Ludorum Lupercalia, diversorium Mariæ et Salvatoris speluncam adspexi. Itaque, ni Pauliniane frater, quia supradictus Pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, obdormivit in Christo, tam tuo, quam venerabilium mihi ancillarum Christi, Paulæ et Eustochii nunc adjutus oratu; canticum quod cantare non potui in terra aliena, hic a vobis in Judæa provocatus immurmuro... Et ut Auctorem titulo fatear, malui alieni operis interpret existere, quam (ut quidam faciunt) informis cornicula, alienis me coloribus adornare.* Quibus postremis verbis, maxime vero his quæ subsequuntur, S. Ambrosium suggillari contendit Rufinus, eaque de causa criminationem in Hieronymum gravissimam intentat. Dictum aliis ea de re, et nobis suo loco.

IV. Succedunt Homiliæ trigintanovem Origenis in Lucam, quas persuasum est docetis viris fuisse ante ab eo redditas Latine, quam Hebraicas in *Genesis* Quæstiones, et Librum de Locis ederet, eoque magis ante eum quem modo recensuimus, Dyolimi de Spiritu Sancto Tractatum. In quam sententiam locuples quidem eos adduxit S. ipsiusmet Patris in Præfatione ad Homilias illas locus: *Prætermisi paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum lucrativis operis hæc qualiacumque sunt, non mea sed aliena dictarem.* Verum valde ego aliter sentio, et perperam accepisse eos mentem S. Doctoris, sensumque ejus verborum, autumo. Neque enim Quæstionum in *Genesis*, sed *ἀπλῶς Quæstionum libros* se ait intermisisse: multoque probabilius est, et par credere, de aliis cum loqui, quas in reliquos Scripturæ libros parabat (et semel tunc interceptas, postea, ut diximus, omnino prætermisit) quam de singulari in *Genesis* libro, quem tota rerum series, et quem tenet ordo in Catalogo, perfectum jam antea, ac publici juris factum, persuadent. Quod si verum est, ut

veri speciem omnem habet : has anno demum 390 ex Græco in Latinum convertendas Homilias suscepit. In Præfatione ad Paulam et Eustochium quemdam quem istæ legerant, nec satis tamen probaverant, Lucæ interpretem S. Pater suggillat : eumque S. Ambrosium esse, qui ante ferme quadriennium suos ediderat Commentarios in Lucam (*Insect. II*), Ruffinus contendit. Et probare etiam tum ex eo nititur, quod nullus ex Latinis ad id usque temporis præter Ambrosium in Lucam scripsisset, tum quod ipsiusmet Epistolam Hieronymi proferre posset, *in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum convertit suspicionem*. Sed neque hanc Epistolam, quod *secretiora quædam* alia contineret, Ruffinus in vulgus edidit, aut quisquam vidit, ut ex ea disputare liceat : neque homini plusquam Vatiniana odia in Hieronymum exercenti, facile erit qui hac in re fidem adhibeat. Cætera quæ ejusdem calumnias spectant, quas in hanc instruit Homiliarum Origenis Latinam interpretationem, satis abunde dispuncta et refutata sunt nobis in Præfatione ad Tomum septimum, quæ si tanti sunt, recolas.

V. Paulo post, hoc tamen, ut videtur, anno elucubravimus S. Pater eos etiam quos pone subdit in *Psalmos a decimo usque ad decimum sextum Tractatus septem*. Docti viri, de quorum numero Sixtus Senensis et Daniel Huetius, non alias præterea existimant fuisse, quam totidem Origenis Homilias, quæ de Græco in Latinum translulerit. Nobis hac de re nihil pro certo affirmare placet, maxime cum tota elucubratio illa desideretur, ex qua sumere in alterutram partem argumentum liceret. Quin potius si quid conjicere ex modo, quo ab ipso recensentur, licet, malim ego primogenitos fœtus S. Doctoris existimare : tametsi maximam partem ex græcis Scriptoribus atque Origene præsertim, ut in more positum tunc illi erat, desumptos, ultro etiam fatear. Porro cur interciderint, aut certe neque integri superent, neque eo culta, ut ab aliorum interpolationibus internoscant, causam addidimus in Admonitione ad *Breviarium in Psalmos*, quod Septimo Tomo Appendicis loco subnectimus.

VI. Videtur, his absolutis scriptionibus, aliquando sibi silentium imposuisse S. Pater : *Silere quippe, ait, me fecit, cui meus sermo supplicium est* (*Prolog. ad Vit. Malchii*). Sed graviorem interim, ac longioris multo operæ scriptionem animo jam parabat, universam, videlicet, rerum Christianæ historiam, literis consignare. *Scribere enim, inquit, disposui (si tamen vitam Dominus dederit : et si vituperatores mei saltem fugientem me, et inclusum persequi desierint) ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est ab Apostolis usque ad nostri temporis fecem, quomodo et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta, persecutionibus creverit, et martyriis coronata sit : et postquam ad Christianos Principes venerit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit* (*Ibidem*). Porro elucubravit nec ne postea istud operis, dubitatum est inter eruditos, etsi enim ad nos nihil ejusmodi

pervenerit, neque ulla unquam ejus apud antiquos vola sit aut vestigium, affirmare tamen videtur ipsemet, idque post annos admodum decem, Libro I. contra Ruffinum, ubi se ait Ecclesiasticam Eusebii historiam (quam suæ potuisset inserere) in Latinum translulisse. *Laudavi, inquit, Eusebium in Historia Ecclesiastica, in digestionem Temporum* (hæc est Chronici versio) *in descriptione Terræ Sanctæ* (hæc Libri de Locis est) *et hæc ipsa Opuscula in Latinum vertens meæ linguæ hominibus dedi*. Verum aliam nos ad eum locum innuimus fuisse S. Doctoris mentem, quam vulgo intelligitur, ac primo statim obtutu apparet : atque ita hæc diximus accipienda verba, ut illud unice ad Ecclesiasticam historiam referatur, quod ait : *laudavi* : ad reliqua autem duo opuscula alterum, quod suæ linguæ hominibus dederit, spectet. Quæ quidem genuina etiamnum sensus ejus explicatio videtur, et quæ aliis ejusmodi apud eum exemplis, si res ferat, comprobari facile possum. Si cui tamen minus arrideat, ita etiam existimare liceat, eam innui Eusebianæ historiæ partem, haud equidem magnam, sed tamen Eusebii *κατά λέξιν*, quæ Scriptorum Ecclesiasticos recenset, et Noster suo de Viris Illustribus libro Latine redditam de verbo ad verbum inseruit. Certe qui elucubratam revera ab eo historiam universam Ecclesiasticam putant, longius a veri specie omniberrant.

VII. Sed utique cum primum silere desiit, anno ut videtur 391, *Malchi Captivi Monachi, et Beati Hilarionis Vitæ* scripsit, quas in Catalogo, uno, ut ita dixerim, spiritu recensens, ita coniecit. Et priorem quidem historiam, ut suo loco diximus, Maronia in Syria ab ipsius Malchi ore exceperat : alteram ab Ægyptiis monachis enarratam digessit. Addit qui *Vitæ Patrum* Liber inscribitur, Asellæ fuisse Auctore ab ipso nuncupatam : cujus tamen rei, neque in editis in manu exaratis Hieronymianis codicibus vola est aut vestigium. Quod unum prodit S. ipsemet Pater, hanc Sophronius in *Græcum elegantis sermone transtulit* : ex eoque Vossium falli, perspicuum est, qui in Opere de historicis Græcis, Sophronium vitæ Hilarionis Auctorem, non interpretem facit.

CAPUT XX.

I. *Recensentur quæ Hieronymus ex τδ LXX. exemplari in Latina tunc vulgata Editione emendavit. II. Libri qui ex eo labore nunc superant.*

I. Nullam videtur S. Pater in Catalogo, laboris ejus perquam utilis, ac difficillimi, quo Sacræ Scripturæ libros ex Latina vetere interpretatione ad emendatissima τδ LXX. exemplaria recensuit, restituitque innumeris locis, rationem habuisse, saltem quæ temporum notationem spectet. Nec sane tamquam elucubrat ab se operis mentionem ibi ullam facit, ubi alia omnia, minoris etiam si libet momenti, in censum suorum recipit : et liquido tamen constat, quo tempore Catalogum illum, seu Librum de Viris Illustribus scripsit, anno videlicet 392, plerumque ejus laboris partem jam exatlasset, nec sane modi-

Genesis librum unum. *De Locis* librum unum. *Hebraicorum Nominum* librum unum. In primo alterum ex his memorat, in altero primum ac tertium, atque in hoc duos priores; ut illos uno eodemque tempore eum præ manibus habuisse, ipsa hac recensione intelligas. Quin etiam primo in lucem edidit, quem ibi ordine postremum ponit; sive cum adhuc Hebraicis quæstionibus insudaret, et nondum librum de Hebraicis Locis edidisset, tertium de Nominibus vulgavit. Ferebatur hic liber jamdiu olim Græce a Philone primum deformatus, deinde Origenis studio auctus, sed perturbatus adeo et confusus, ut debitæ ex eo percipi utilitati parum consultum putarit Hieronymus, si tantum Latine verteret, non autem novum fere ex integro repararet. Profectus, quem in Hebraicis litteris fecerat, specimen atque experimentum hoc fuit, quod hac nimirum de causa hortatu fratrum Lupuliani (vel Lupuli, ut libri alii præferunt) et Valeriani scribendum suscepit, rei ipsius utilitate commotus, et quo fecisse se aliquid gloriatur, quod a Græcis quoque appetendum esset. Ut enim plerasque omnes quæ in Græco exemplari habebantur etymologias nominum relinuerit, ne Græcis quidem exceptis aliquot nominibus, præpostera olim cura intrusis: sæpius tamen de suo alias addidit, et eas quæ subabsurdæ viderentur, et contra linguæ Hebraicæ ingenium, violenta interpretatione explicari, professus est. Librum itaque nunc suum vocat, nunc Philonis, vel Origenis, et quædam se alicubi ait in libro Nominum Hebraicorum reperisse, quæ minime in hoc suo leguntur.

Editionis honorem subsequutæ sunt Quæstiones Hebraicæ in *Genesis*, novum plane opus, et tam Græcis quam Latinis prorsus antea inauditum, quo id sibi proposuit, ut vel eorum, qui de libris Hebraicis varia suspicabantur, errores refelleret, vel ea quæ in Græcis et Latinis codicibus scaterere vitis videbantur, auctoritati suæ redderet. Ejusmodi quæstiones in cæteros quoque libros Scripturæ adornare in animo habuit, fortasse etiam adorsus est: id quod subinde inuit ipse, ut quum de re quadam locuturum se recipit, cum *Quæstiones in Josue* explicabit. Sed quemadmodum in Generali Præfatione ostendimus, aut nequaquam postea perfecit quæ ad rudem earum contextum informaverat, aut quod propius ad fidem videtur, mutato consilio, cum deinde Commentarios elaboraret, licis illis quæ tumultuario congesserat, utiliter usus est: vel denique quidquid illud erat operis, intra domesticos parietes cohibuit. Certe non alias præterea Quæstiones Hebraicas in suorum Catalogo operum, quem post ferme biennium scripsit, quam istas in *Genesis* recenset, ac recipit in foetum suorum censum. Postremo loco Librum de Locis vulgavit, quem Græce præscriptum ab Eusebio in Latinum transtulit, alicubi etiam mutavit, et nonnihilauxit, ut ex Græci textu, quem e Hieronymianæ interpretationis regione edidimus, collatione perspicuum est. Hanc libertatem ita ipse excusat in Præfatione, *Semel enim et in Temporum libro præfatus sum, me vel interpretem esse, vel novi operis conditorem.*

Opposuit vero interpretationem hanc suam alteri, quam quidam viz primis imbutus litteris edere ausus fuerat, ut ex comparatione utriusque prudens Lector judicium faceret.

III. His Didymi librum in Catalogo subnectit, quem in annum jam quintum premebat, ex quo illum Romæ, cum Damasus adhuc in vivis ageret, sive anno 384, ut suo loco monuimus, ad finem vergente cœperat interpretari. Resumit eum itaque in manus et sive secundis curis totum recognoverit, sive reliquam modo partem, quam prætermiserat, in Latinum verterit, eum sane diutius latere intra cellulæ suæ parietes minime passus est, sed honori, ut ipse loqui amat, editionis, hoc scilicet 389 anno ad finem properante, permisit, et Pauliniano fratri suo dedicavit. Rem totam narrat ipse in Præfatione: *Cum in Babylone, iniquiens, versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem, volui garrere aliquid de Spiritu Sancto, et ceptum opusculum ejusdem Urbis Pontifici dedicare.* Tum paucis interjectis de odio, quo apud Romanos laboravit, *Illico ego, subdit, velut postlininio Jerosolymam sum reversus, et post Romuli casam et Ludorum Lupercalia, diversorium Mariæ et Salvatoris speluncam adspexi. Itaque, ni Pauliniane frater, quia supradictus Pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, obdormivit in Christo, tam tuo, quam venerabilem mihi ancillarum Christi, Paulæ et Eustochii nunc adjutus oratu; canticum quod cantare non potui in terra aliena, hic a vobis in Judæa provocatus immurmuro... Et ut Auctorem titulo fatear, malui alieni operis interpret existere, quam (ut quidam faciunt) informis cornicula, alienis me coloribus adornare.* Quibus postremis verbis, maxime vero his quæ subsequuntur, S. Ambrosium suggillari contendit Rufinus, eaque de causa criminationem in Hieronymum gravissimam intentat. Dictum aliis ea de re, et nobis suo loco.

IV. Succedunt Homiliæ trigintanovem Origenis in Lucam, quas persuasum est docis viris fuisse ante ab eo redditas Latine, quam Hebraicas in *Genesis* Quæstiones, et Librum de Locis ederet, eoque magis ante eum quem modo recensuimus, Dylimi de Spiritu Sancto Tractatum. In quam sententiam locuples quidem eos adduxit S. ipsiusmet Patris in Præfatione ad Homilias illas locus: *Prætermisi paululum Hebraicarum Quæstionum libros, ut ad arbitrium vestrum, lucrativis operis hæc qualiacumque sunt, non mea sed aliena dictarem.* Verum valde ego aliter sentio, et perperam accepisse eos mentem S. Doctoris, sensumque ejus verborum, autumo. Neque enim Quæstionum in *Genesis*, sed ἀπὸ; *Quæstionum libros* se ait intermisisse: multoque probabilius est, et par credere, de aliis cum loqui, quas in reliquos Scripturæ libros parabat (et semel tunc interceptas, postea, ut diximus, omnino prætermisit) quam de singulari in *Genesis* libro, quem tota rerum series, et quem tenet ordo in Catalogo, perfectum jam antea, ac publici juris factum, persuadent. Quod si verum est, ut

veri speciem omnem habet : has anno demum 390 ex Græco in Latinum convertendas Homilias suscepit. In Præfatione ad Paulam et Eustochium quemdam quem istæ legerant, nec satis tamen probaverant, Lucæ interpretem S. Pater suggillat : eumque S. Ambrosium esse, qui ante ferme quadriennium suos ediderat Commentarios in Lucam (*In vect. II*), Rufinus contendit. Et probare etiam tum ex eo nititur, quod nullus ex Latinis ad id usque temporis præter Ambrosium in Lucam scripsisset, tum quod ipsiusmet Epistolam Hieronymi præferre posset, in qua hoc ipsum de aliis excusans, in illum convertit suspicionem. Sed neque hanc Epistolam, quod secretiora quædam alia contineret, Rufinus in vulgus edidit, aut quisquam vidit, ut ex ea disputare liceat : neque homini plusquam Valiniana odia in Hieronymum exercenti, facile erit qui hac in re fidem adhibeat. Cætera quæ ejusdem calumnias spectant, quas in hanc instruit Homiliarum Origenis Latinam interpretationem, satis abunde dispuncta et refutata sunt nobis in Præfatione ad Tomum septimum, quæ si tanti sunt, recolas.

V. Paulo post, hoc tamen, ut videtur, anno elucubravimus S. Pater eos etiam quos pone subdit in *Psalms a decimo usque ad decimum sextum Tractatus septem*. Docti viri, de quorum numero Sixtus Senensis et Daniel Huetius, non alias præterea existimant fuisse, quam totidem Origenis Homilias, quas de Græco in Latinum transtulerit. Nobis hac de re nihil pro certo affirmare placet, maxime cum tota elucubratio illa desideretur, ex qua sumere in alterutram partem argumentum liceret. Quin potius si quid conjicere ex modo, quo ab ipso recensentur, licet, malim ego primogenitos sætus S. Doctoris existimare : tametsi maximam partem ex græcis Scriptoribus atque Origene præsertim, ut in more positum tunc illi erat, desumptos, ultro etiam fatear. Porro cur interciderint, aut certe neque integri superent, neque eo cultu, ut ab aliorum Interpolationibus internosci queant, causam addidimus in Admonitione ad *Breviarium in Psalmos*, quod Septimo Tomo Appendicis loco subnectimus.

VI. Videtur, his absolutis scriptionibus, aliquandiu sibi silentium imposuisse S. Pater : *Silere quippe, ait, me fecit, cui meus sermo supplicium est (Prolog. ad Vit. Malchi)*. Sed graviorem interim, ac longioris multo operæ scriptionem animo jam parabat, universam, videlicet, rerum Christianæ historiam, literis consignare. *Scribere enim, inquit, disposui (si tamen vitam Dominus dederit : et si vituperatores mei saltem fugientem me, et inclusum persequi desierint) ab adventu Salvatoris usque ad nostram ætatem, id est ab Apostolis usque ad nostri temporis fecem, quomodo et per quos Christi Ecclesia nata sit, et adulta, persecutionibus creverit, et martyriis coronata sit : et postquam ad Christianos Principes venerit, potentia quidem et divitiis major, sed virtutibus minor facta sit (Ibidem)*. Porro elucubravit nec ne postea istud operis, dubitatum est inter eruditos, etsi enim ad nos nihil ejusmodi

pervenerit, neque ulla unquam ejus apud antiquos vola sit aut vestigium, affirmare tamen videtur ipsemet, idque post annos admodum decem, Libro I. contra Rufinum, ubi se ait Ecclesiasticam Eusebii historiam (quam suæ potuisset inserere) in Latinum transtulisse. *Laudavi, inquit, Eusebium in Historiæ Ecclesiasticæ, in digestionem Temporum (hæc est Chronici versio) in descriptione Terræ Sanctæ (hæc Libri de Locis est) et hæc ipsa Opuscula in Latinum vertens novæ linguæ hominibus dedi*. Verum aliam nos ad eum locum innuimus fuisse S. Doctoris mentem, quam vulgo intelligitur, ac primo statim apparet : atque ita hæc diximus accipienda verba, ut illud unice ad Ecclesiasticam historiam referatur, quod ait, *laudavi* : ad reliqua autem duo opuscula alterum, quod suæ linguæ hominibus dederit, spectet. Quæ quidem genuina etiamnum sensus ejus explicatio videtur, et quæ aliis ejusmodi apud eum exemplis, si res ferat, comprobari facile possit. Si cui tamen minus arrideat, ita etiam existimare liceat, eam innui Eusebianæ historiæ partem, haud equidem magnam, sed tamen Eusebii *κατὰ λέξιν*, quæ Scriptores Ecclesiasticos recenset, et Noster suo de Viris Illustribus libro Latine redditam de verbo ad verbum inseruit. Certe qui elucubratam revera ab eo historiam universam Ecclesiasticam putant, longius a veri specie omniberrant.

VII. Sed utique cum primum silere desiit, anno ut videtur 391, *Malchi Captivi Monachi, et Beati Hilarionis Vitas* conscripsit, quas in Catalogo, uno, ut ita dixerim, spiritu recensens, ita connectit. Et priorem quidem historiam, ut suo loco diximus, Maronia in Syria ab ipsius Malchi ore exceperat : alteram ab Ægyptiis monachis enarratam digessit. Addit qui *Vitæ Patrum Liber* inscribitur, Asellæ fuisse Auctore ab ipso nuncupatam : cujus tamen rei, neque in editis in manu exaratis Hieronymianis codicibus vola est aut vestigium. Quod unum prodit S. ipsemet Pater, hanc Sophronius in *Græcum elegantis sermone transtulit* : ex eoque Vossium falli, perspicuum est, qui in Opere de historicis Græcis, Sophronium vitæ Hilarionis Auctorem, non interpretem facit.

CAPUT XX.

I. *Recensentur quæ Hieronymus ex τδ LXX. exemplari in Latina tunc vulgata Editione emendavit. II. Libri qui ex eo labore nunc superant.*

I. Nullam videtur S. Pater in Catalogo, laboris ejus perquam utilis, ac difficillimi, quo Sacræ Scriptionis libros ex Latina vetere interpretatione ad emendatissimam τδ LXX. exemplaria recensuit, restituitque innumeris locis, rationem habuisse, saltem quæ temporum notationem spectet. Nec sane tamquam elucubravit ab se operis mentionem ibi ullam facit, ubi alia omnia, minoris etiam si libet momenti, in censum suorum recipit : et liquido tamen constat, quo tempore Catalogum illum, seu Librum de Viris Illustribus scripsit, anno videlicet 392, pleramque ejus laboris partem jam exantlasse, nec sane modi-

cam permississe jam in publicum ut prodiret. Libro secundo in Ruffinum, *Egone, inquit, contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi?* Atque isdem fere verbis Libro III. *Septuaginta Editione: diligentissime emendatam ante annos plurimos meæ linguæ hominibus dedi.* Item in Prologo ad libros Salomonis ex Hebræo, *Si cui sane Septuaginta Interpretum magis Editio placet, habet eam a nobis emendatam.* Denique, ut alia multa prætermittam, Epist. LXXI. ad Lucinium, *Septuaginta Interpretum Editionem et te habere non dubito, et ante annos plurimos diligentissime emendatam studiosis tradidi.* Hæc satis abunde S. ipsiusmet Interpretis testimonia evincunt, fuisse ab eo istud Operis non adornatum modo, sed et Editionis honori, ut ipse alias loquitur, bona saltem ex parte permissum.

II. Satis quoque ex iis constat, contra atque Critici quidam, cætera non indocti, arbitrantur, non illos modo Scripturæ libros, nec præterea alios, fuisse abs Hieronymo ad Græcum exemplar recognitos, qui vel superant etiamnum, vel de nomine ab ipso laudantur. Cum enim *ἔκδοξ* Editionem Septuaginta abs se dicat in Latino ad Græca exemplaria emendatam, eamque alteri comparet Translationi ex Hebræo, manifestum est, non quosdam tantummodo libellos, et ad summum sex, ut volunt, sed univrsum Canonem: sua illa cura expositum denotare. Cujus quidem rei alia argumenta sunt, quæ latius in Præfatione nostra ad decimum Tomum protulimus, et quæ, si tanti videntur, consulas denuo; atque huc referas. Luculentissimum profecto est illud S. ipsius Interpretis testimonium Epist. CXXXIV. ad Augustinum, ubi jam tum fuisse pleramque ejus emendationis partem a nescio quo compilatam, dolet. *In Editione, inquit, Septuaginta.... pleraque prioris laboris fraude ejusdam amisimus.* Multa igitur alia erant præter ea quæ vulgo præstabant tunc temporis, ac supersunt hodiernum, quæ pleraque operis pars dici potuit, et facile univrsum Canonem Scripturarum explebant. Cujus denique rei certior ipse factus Augustinus Epistola inter Hieronymianos CXVI. integram ab eo recensionem eam postulat. *Mittas, ait, obsecro, interpretationem tuam de Septuaginta, quam te edidisse nesciebam.*

III. Porro, quanti labor hic S. Doctori steterit, et quid proprie rei sit atque operis, aperiendum est. Erat Veteris Instrumenti Vulgata vetus interpretatio, quæ tunc temporis passim in Ecclesiis obtinebat, ex Græca alia *ἔκδοξ* LXX. versione in Latinum refusa, sed ita librariis omne genus vitii, lacunis, trajectionibus, assumptis deformata, ut interdum etiam alium a vero sensum præferret, et divinæ auctoritatis verba et sententias redderet lectionum varietate incertas. Præcipua errorum causa, quod a Græca Editione *Κοινῆ*, id est, *Communi*, derivata olim fuerit, quæ innumeris ejusmodi vitii scatebat. Ad difficultatis autem cumulum accedebat, quod aliæ præterea Græcæ editiones, quæ ferebantur, multum inter se pro

regionum varietate atque usu Ecclesiarum differrent. *Alexandria, inquit, et Ægyptus in Septuaginta suis Pseychium laudat auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius et Pamphilus vulgaverunt: totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat. Et certe Origenes non solum exemplaria composuit quatuor editionum, e regione singula verba describens, ut unus dissentiens statim cæteris inter se consentientibus arguatur, sed quod majoris audaciæ est, in editione Septuaginta Theodotionis editionem miscuit, asteriscis designans, quæ minus ante fuerant, et virgulis quæ ex superfluo videbantur apposita (Præf. in Libb. Paralip. ex Hebr.).* Prætermitto quæ alias alibi memorat editiones atque exemplaria. Unice ad verum, aut certe cæteris longe omnibus propius accedebat illa, quæ fuerat olim Origenis industria in *Ἐξακτοῖς* elaborata cum obelis atque asteriscis: eaque nimirum in tanta editionum varietate Noster usus est, cujus exemplar perquam emendatum in Cæsarensi Bibliotheca repererat. Quinetiam eandem illam rationem notarum, obeli, inquam, atque asterisci in Latina restituenda Versione habuit. Unde Epist. CXII. ad Augustinum, *Quod quæris, inquit, cur prior mea in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat et virgulas prænotatas... illa interpretatio Septuaginta interpretum est; et ubicumque virgulæ, id est, obeli sunt, significatur, quod Septuaginta plus dixerint, quam habetur in Hebræo. Ubi autem asterisci, id est, stellulæ prælucentes, ex Theodotionis editione ab Origene additum est: et ibi Græca transtulimus, hic de ipso Hebraico quod intelligebamus, expressimus.* Et alia ad eundem Epistola CXXXIV. *Præceptis tuis parere non possum, maxime in Editione Septuaginta, quæ asteriscis veribusque distincta est.* Denique omnium luculentissime Epistola CVI. ad Sunniam et Fretelam, ubi etiam quantum intersit Communem inter atque Hexaplaem Editionem docet, atque hanc a se testatur, in *Latinum sermonem fideliter versam.* Et paulo post: *Ea autem, inquit, quæ habetur in Ἐξακτοῖς et quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta, et immaculata Septuaginta interpretum translatio reservatur.*

IV. Tempus quod spectat, cum neque unus idemque sit annus uniuscujusque libri, neque certo possit suis cuique assignari, vero simillimum tamen est, fuisse omnes ante annum 391 adornatos, neque enim par credere est, cum ab hoc tempore novam ex Hebræo textu interpretationem adorsus esset S. Pater, eum amplius de priore Correctione illa cogitasse. Adeo quidquid istuc operis fuerit, perfectum jam fuisse apparet, atque intra cellulæ parietes ad privatos monasterii usus magna ex parte repositum, aut certe Auctori non probatum usque adeo, ut Ecclesiarum necessitatibus satis putaret esse consultum. Neque enim novam ex integro aggressus esset ex Hebræo, si ad Græcorum exacta codicum fidem Editio illa sufficisset. Quinquennii autem plus minus spatio totus labor ille absolutus est; nam 392 anno quo Ca-

talogum suorum Operum texebat, jam aliquot ex Hebræo libros ceperat interpretari: quod indicium est, a Græcis jam destitisse: hæc autem non nisi anno demum 337, postquam se Bethleem recepisset, interpretari, sive ad eorum amussim Latina exigere, aggressus est. Et præluserat tamen tantæ molis operi recensione illa Psalmorum prope dixerim tumultuaria, quam ut ipse ait, *Romæ positus cursim et magna ex parte adornaverat*. Quod rudimentum cum bene cessisset, et Romanæ cumprimis Ecclesiæ probaretur usu (etiannum quippe *Romanum Psalterium* audit) animos illi addidit, cum se paulo post Bethleem transtulisset, et Septuaginta editionem in conventu fratrum quotidie edissereret, ad illam versionem ex integro juxta Græcum textum, atque eum quidem Hexapla rem emendatissimum, redigendam. Nec sane dubium videtur, quin universum Canonem continenti illa comparatione ad Græcum expoliverit: qua de re pluribus in Præfatione ad decimum Tomum edisseruimus, quæ huc referas.

V. Verum duo nunc soli ex universa recensione illa libri integri superant, Job, et Psalterium, totidem Prologi in Salomonis et Paralipomenon libros, quæ tanti operis vix quædam indicia sunt, et magis desiderare ac deslere quod periit, quam quod superest, frui nobis præbent. Quamquam possunt Prophetarum quoque omnium libri (quæ haud sane exigua Scripturarum pars est) instaurari ex versione illa, sive emendatione, quam in Commentariis S. Patris suæ ex Hebræo versioni statim subnectit juxta Septuaginta. Verum haud scio, num ita inde excudi integra continenter possit, ut, quod rei caput est, summa appareat S. Doctoris diligentia in ohelorum atque asteriscorum notis, quæ facile per Antiquariorum oscitantiam, et locis quodammodo peregrinis excidere potuerunt, ac re ipsa excidisse alicubi, compertum est. Reliqua jamdiu olim, atque ipso ad vivente S. Interprete, pars operis ejus maxima periit: quod notatum nobis est antea ex ejus Epistola CXXXIV. ad Augustinum in fine, ubi, *Præceptis tuis, inquit, parere non possum, maxime in editione Septuaginta, quæ asteriscis verubusque distincta est, pleraque enim prioris laboris fraude cujusdam amissimus*. De hac nos jactura, deque his qui supersunt duobus libris, in Præfatione ad decimum Tomum satis multa.

CAPUT XXI.

I. *Vetus Testamentum ex Hebræo interpretatur*. II. *Præpostero ordine, atque initio a Regum libris facta, maximam ante annum 392 ejus versionis partem edidit*. III. *Quandam etiam apud se aliquandiu retinuit*. IV. *Reliquum Hebræi Canonis quod supererat, secutis temporibus absolvit*.

I. Verum recensione illa atque emendatione Scripturarum non usque adeo contentus Hieronymus, ad novam ex integro Latinam interpretationem de Hebraico ipso exemplari utpote cæteris præstantiore omnibus, et fædliore adornandam, animum appulit.

Et maximam sane ejus partem jam anno 392 absolverat, siquidem vere atque *κατὰ* eo tempore suorum Catalogum operum contexens, affirmavit, *æ Vetus Instrumentum juxta Hebraicum transtulisse*. Quæ quidem causa est, cur huc semel referri laborem universum rerum quoque Hieronymianarum historiae consentaneum magis videatur: tametsi reliquum quod erat ejus operis sequentis temporibus, et quædam post ferme biennium, quædam etiam post multo transtulerit, ut non nisi post annos ab eo admodum duodecim tota illa juxta Hebræum Canonem interpretatio absoluta sit. Sed enim quod fuerit uniuscujusque libri tempus, quisve ordo, explicemus.

II. Neque enim juxta Scripturarum ordinem, in Hebræo Canone continetur, a primo ad novissimum, sed ut potuit, rogatusque est a Fratribus vertendos sibi libros illos proposuit. Initium fecit a libris Regum, quos Hebræi in duo tantum volumina disperuntur, quæ Samuel et Malachim vocant. Et primum quidem conatum hunc suum fuisse, manifesto ipse tradit in Prologo, quem idcirco, *quasi galeatum principium vocat, et convenire ait omnibus libris, quos de Hebræo in Latinum vertere in animo habebat*. Etenim parare defensionem sibi voluit adversus illos, quos suo studio eo infensiores futuros præsentiebat, quo majoris hoc erat ausum momenti atque operæ, quam quod antea in recensenda atque emendanda versione *αὐτῶν* LXX. præstiterat. Erat enimvero hominis divina quadam præditi mente, atque ab omni doctrinarum genere fere supra mortalium conditionem exulti, inaccessos pridem omnibus Scripturarum fontes attingere, ac velle non prius audios ex iis sensus et verba Ecclesiæ docere. Itaque hos *primum* libros quasi cruditionis suæ specimen præbiturus, ne sibi nimium tribuere videretur, legi postulat: eoque ipso fuisse *primum*, sive ante alios, ab se translato ex Hebræo, notat. Misit deinde eos Romanam *Patri Domnioni*, ut in Epistola XLIX. ad Pammachium, quæ anno scripta est 393, prodit. Sed et libros *sedecim Prophetarum* jam se in *Latinum de Hebræo sermone* tunc vertisse, cum eam Epistolam scriberet, testatus est: quin et Pammachio ait ad legendum fuisse in promptu. Addit, si ista placuerint, et delectari eum hoc opere compererit, fore ut provocetur *etiam Cætera clausa armario non tenere*. Continuo post Jobi versionem nominat, jam enim animes sibi sumpserat ad multo difficillimum librum, non ex Hebræo tantum, sed et ex Arabo Syroque sermone interpretandum: in quam rem sibi etiam ex Lydda præceptorem Judæum olim adsciverat. Narrat hæc ipse latius in Præfatione: tempus autem in laudata modo Epistola ad Pammachium his verbis indicat. *Transtuli nuper Job in linguam nostram, cujus exemplar a S. Marcella consobrina tua poteris mutuari*. Non solum igitur adornata dudum ea fuerat interpretatio, verum etiam in vulgus edita, et Romam transmissa: ut non ita modicum præcessisse temporis spatium, ex adverbio illo *nuper* conjicias. Urget eo magis ratio, si quod est etiam verosimillimum, fuerunt isthæc

volumina omnia continuis quodammodo operis in Latinum conversa, et eadem missa occasione Romanam. Nam multo ea citius, et ante an. 392 lucem aspexisse, ex libro de Viris Illustribus, quem hoc ipso anno elucubravit S. Pater, perspicuum est. Ex quo item intelligimus, Psalterium quoque fuisse ab eo jam pridem suæ linguæ hominibus datum, atque hoc ipsum antequam Prophetas, quos secundo loco recensuimus, interpretaretur. Scilicet inter alia opuscula sua, quæ ibi capite trigesimo quarto supra centesimum refert, fuisse in Græcum ab amico Sophronio translata, *Psalterium quoque et Prophetas recenset : quos, ait, nos de Hebræo in Latinum convertimus.* Et sane ante spatium temporis haud ita exiguum, ut et in Græcum refundi ab illo possent, et a Nostro, utpote perfecta jam atque edita opuscula, recenseri.

III. Omnino itaque ante annum 392, hæc quæ nominatim recensuimus volumina, quibus universæ Scripturæ pars altero tanto major continetur, perfecit S. Pater. Reliqua subsecutis quidem temporibus in lucem emisit; verum ex his etiam quædam tunc habuisse eum in promptu, facile ex superius laudato loco adducor ut credam, ubi se ait, *cætera clausa armario retinere.* Num fuerit de horum numero Daniel, an quartus Prophetis majoribus accenseri existimandus sit, quæri non incongrue potest. Nam Sanctus quidem ipse Interpres dum laudata ad Pammachium Epistola *sedecim Prophetas* ab se affirmat de Hebraico in Latinum conversos, Danielem utique in his computat; secus enim solos numerasse quidem debuisset. Revera etiam ab alibi, ut Epistola LIII. ad Paulinum, Danielem in Prophetarum majorum censum recipit, tribusque aliis adjungit. Alia ex parte liber ille in Hebræo Canone inter Prophetas non computatur, sed inter Agiographa: neque alium in ipsa Hieronymiana versione locum habet, juxta veterum exemplarium fidem. In Prologo quoque Galeato atque alibi S. ipse Doctor Danielæm Agiographis ad censet: neque sane videtur ipse propositi sibi Canonis ordinem in sua adornanda interpretatione invertere voluisse. Denique se opus istud a Prophetali longo intervallo distinxisse indicat in Præfatione iis maxime verbis, *Impegi novissime in Danielem, et tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita, omnem veterem laborem voluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, et illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, Labor omnia vincit Improbis, qui mihi videbar sciolus inter Hebræos, cœpi rursum discipulus esse Chaldaicus. Et ut verum fatear, usque ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere, et intelligere, quam sonare.* Ut ut vero se res habuerit, nam disputari hæc posse videntur in utramque partem, putare utique malim fuisse Danielem ab Hieronymo ante annum saltem 393 redditum Latine ex Hebræo: nullusque dubito, quin ab eo tempore tantam ille fuerit ejus linguæ peritiam assecutus, quanta sibi ad rectam concinnandam ejus interpretationem libri usui erat. Sed utique aliud

hinc velim pro aliis scriptis Chaldaica dialecto libris, cujusmodi Tobias est, argumentum sumi. Si enim cum Danielem Hieronymus transtulit ante annum, ut diximus, 393, nondum perfecte quidem linguam Chaldaicam noverat, noverat tamen: cum vero Tobiam interpretaretur, ita se ejus ignarum linguæ confessus est, ut quæ Chaldaice ibi scripta erant, nisi prius in Hebraicum refunderentur, per se intelligere nequaquam posset: consequens est, hunc multo ante librum, quam illum Latine vertendum suscepisse. Quia, inquit in Præfatione ad Chromatium et Heliodorum, *vicina est Chaldæorum lingua sermoni Hebraico, utriusque lingua peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: et quidquid ille mihi Hebraicis verbis Expressit, hoc ego accito notario, sermonibus Latinis exposui.* Omnino itaque fuerat jamdiu antea hæc adornata versio, quam ad Pammachium Epistolam toties laudatam scriberet: cumque ejus ibi nulla sit mentio, inter ea omnino computanda est, quæ se dixit armario clausa continere. Nam etsi liber ille de priore Hebræo canone, qui Hebraice scriptos tantummodo complectebatur, non esset: divinam tamen auctoritatem tum apud eam gentem cum apud Ecclesiæ Patres obtinuit, et in Scripturæ sacræ censum continuo abs Hieronymo receptus est. Ejusmodi liber quoque erat Judithæ, quem S. Pater Chaldaicæ linguæ jam probe, ut videtur, gnarus, atque adeo post ipsum Danielem, Latine vertit. Addi fortasse his posset unus præterea atque alius, quos per id quidem temporis Romano cultu donatos, nondum in vulgus protulisset: sed hæc minus explorata res est. Alia ex parte satis hæc sunt, ut sua dicto veritas constet, jam scilicet ab anno 392 Vetus Testamentum translatum ab eo fuisse juxta Hebraicam fidem: quandoquidem quæ operis perfectioni tunc deerant, nec singillatim refert ipse in Epistola ad Pammachium, *clausa armario magna ex parte jam tenebat: et licet aliis subinde annis in lucem protulerit, ab eo tamen ἀκλῶς exordio ac tempore, nisi cum secus jussit, repetenda significavit.*

IV. Quæ igitur volumina ex universo Hebræo canone aut nondum attigerat, aut certe nondum publici juris fecerat S. Pater, Octateuchum fuisse, Paralipomena, Salomonis libri atque Esdræ videntur. Hunc autem cum Nehemia haud multo post, sive biennio, ut summum, ab edito libro de Viris Illustribus, anno scilicet 394 in lucem emisit, Domnioni et Rogatiano inscribens, a quibus jam a tribus retro annis continenter, ut laborem hunc subiret, rogatus fuerat. Rogat vero ipse eos vicissim in Prologo, *ut privata lectione contenti, librum non efferant in publicum, nec fastidiosis ingerant cibos, vitentque eorum supercilium, qui judicare tantum de aliis, et ipsi facere nihil noverunt. Si qui autem (subdit) Fratrum sunt, quibus nostra non displicent, his tribuatis exemplar, admonentes, ut Hebræa nomina, quorum grandis in hoc volumine copia est, distincte, et per intervalla transcribant.* Ex quibus denuo intelligis in rem nostram, quanto ille studio publicam lucem effugeret,

et sua vellet omnes præter amicos latere, quæ causa est, cur quædam non a quo tempore elucubrata sunt, sed quo in vulgus prodierunt, repetenda videantur. Hujus autem versionis annus, quem diximus 394, manifesto ex eadem Præfatione illa apparet, ubi multa quæ in Evangeliiis, quasi de Veteri Testamento laudantur, et apud Septuaginta non sunt, expendenda se ait, *latiori operi reservare*. Nihil enim latioris operis nomine denotare aliud voluit, quam Epistolam in nostra recensione LVII. sive libellum *de Optimo genere interpretandi*, in quo de illa Septuagintaviralis versionis comparatione ad Hebræum textum pro instituto disputat, eamque deductam ab Evangeliiis quæstionem expedit. Porro eum libellum sive Epistolam anno scriptam fuisse 395, nihil jam dubium est, et suo nos loco ostendimus. Esdræ subjunxit S. Doctor Paralipomenon interpretationem eodem illo, ut videtur, anno: siquidem in Prologo ad Chromatium eundem illum *de Optimo genere interpretandi* libellum a se *Nuper* editum dixit. Quam modicum eo adverbio temporis intervallum denotet, ex rerum cum primis serie discas, tum aliis plerisque apud eum exemplis. Proinde qui postremo omnium loco prodisse hæc autumant, a vero longius aberrant, ut ex laudato testimonio, atque inferius dicendis planius constabit. Sunt qui Estheræ librum his addant; sed videtur eum S. Pater, Octateuchi de quo mox dicemus, numero comprehendisse, juxta propositi sibi canonis Hebræi recensione, in quo Judices et Ruth libri in unum coalescunt. Probabilius itaque Paralipomena exceperunt tres Salomonis libelli, Proverbia, Ecclesiastes, et Cantica, quos non amplius quam *tridui* opere in Latinum vertit, et Chromatio atque Heliodoro Episcopis sua quotidie repescentibus ingenii monumenta, inscripsit. Atque hoc, *ne, ait, longa ægrotatione fractus, penitus hoc anno reticerem, et apud vos nutus essem*: quibus eam ægrotationem indicare visus est nobis, in quam alibi etiam se queritur incidisse, ut in Præfatione Commentariorum in Matthæum, Epistola LXXI. ad Lucinium, et multo luculentius LXXIII. ad Evangelium, et ex qua demum convaluisse non ita pridem se indicat in Prologo tertii Commentarii in Amos. Certis autem nos argumentis ostendimus ex rerum præsertim serie in Chronologicis ad eas Epistolas, et Commentarios Notis, ab anni 398 initio, nisi si etiam mavis, præcedentis sive, eam S. Doctore ægrotationem obligasse, a qua vix aliquot post mentes paulisper recreatus, dum omnia studia nimia aviditate repetit, iterum, et gravius decubuit. Post hujus itaque anni medium, ac fere finem, id quod ipse indicare his verbis videtur, *ne penitus hoc anno reticerem*, tres illos in Latinum ex Hebræo libellos convertit. Reliquum erat Octateuchum, priores scilicet octo sacri contextus libri, sive septem, ut alii contendunt, qui cetavum numerum huc adscito Esther libro explent, nam Ruth juxta Hebræorum recensione unum cum Judicum libro supputatum diximus. Et certe quidem ipse in Epistola LXXI. ad Lucinium, quem mox

locum laudabimus, *Octateuchum* vocat S. Pater i quamquam *Heptateuchum*, id est, *septem dumtaxat libri*, veteres quædam ejus loci editiones præferunt: qua lectione, etiamsi Hebræi codicis tenenda esset ratio, omnino Esther excluderetur. Sed utique illa *Octateuchum* unice vera lectio est, eique fuisse Estheræ librum a S. Doctore adscitum, locus infra laudandus ex ejus Præfatione in Josue persuadebit. Nihil proinde nos movet, quod quidam magno conatu urgent, constare scilicet ex ejus Præfatione libri, quod agente adhuc in vivis Paula matre, Latinitate donatus sit, cui ut et filix ejus Eustochio inscribitur: cum e contrario si, ut debuit, ex ordine ultimus ex illo Octateucho versus est in Latinum, Paula biennio, ut minimum, antea jam diem obierit. Scite enim vero repositum huic argumento est cum ab aliis, tum ipso Benedictino Editore, non debere scilicet ibi Paulam Eustochii matrem, sed juniorem aliam intelligi, Lactæ filiam, atque ex fratre neptim Eustochii, illudque scribarum oscitantix, ac receptæ in his ponendis nominibus consuetudini imputandum, quod amixæ neptis, seniori junior antefertur. Sed hæc hæc tunc.

Octateuchum igitur Epistola illa ad Lucinium testatus est Hieronymus sibi reliquum esse, cum alios omnes Hebræi Canonis libros pueris ejus ac notariis describendos jam dedisset. *Canonem*, inquit, *Hebræicæ veritatis, excepto Octateucho, quem nunc in manibus habeo pueris tuis ac notariis dedi describendum*. Annus agebatur, cum hæc scriberet, 398, ut suo loco certis argumentis demonstratum est, et rerum, quas hactenus tractavimus, ordo evincit. Verum Pentateuchi, sive quinque Mosis librorum interpretationem dudum aggressus videtur hortatu Desiderii Aquitani Presbyteri, ejus ad quem pridem Epistolam in recensione nostra XLVII. dederat, et quo postmodum impellente, contra Vigilantium scripsit. Eidem illi opus hoc suum postea dedicavit, cujus aliquam tamen partem, puta Genesim atque Exodum saltem jam ante eum annum etiam absolverat, quum vere se dixit aliis de Octateucho libris insudare. Hos porro alios qui superabant, aliquibus, nescio quibus curis impeditus in posterum, diem de die trahens, distulit, nec nisi post Paulæ matris obitum, sive post annum 404 absolvit. Compertum hoc est quam quod maxime ex Præfatione in libros Josue, Judicum et Ruth, quorum interpretationem Eustochio enixe flagitanti elucubravit, eidemque uni dono dedit. *Tandem*, inquit, *finito Pentateucho Mosis, veluti grandi senore liberati, ad Jesum filium Nave manum mittimus, quem Hebræi Josue ben Nun, id est, Josue filium Nun Vocant, et ad Judicum librum, quem Sopherim appellant, ad Ruth quoque et Esther, quos eisdem nominibus efferant*. Et sub finem, *Cæterum post Sanctæ Paulæ dormitionem, cujus vita virtutis exemplum est, et hos libros, quos Eustochio virgini Christi negare non potui, decrevimus*, etc. Obiit vero diem suum Paula, ut alibi declaratum est nobis, ipsoque ejus Epitaphio constat, *Honore Aug. VI et*

Aristameto *Coss.* quæ anni 404 nota est. Potest hæc igitur commode in subsequentem versio transferri, qua universus absolutus est Hebræus canon, ducto, ut dicebamus, initio a Samuele, seu Regum libris, ad Esther, quo finem exantlatis ejusmodi per ferme quindecennium laboribus S. Pater imposuit. Jam vero quæ fortunam, ut ita dicam ejus Editionis apud Latinas Ecclesias, quæque historiam pertinent, et nos attigimus ex parte in Præfatione ad decimum Tomum, et alii pridem Critici eruditissimi, quorum ibi laudamus de nomine aliquos, edisseruerunt; denique ad Vitam S. Doctoris, quam scribimus, parum aut nihil spectant.

CAPUT XXII.

I. *Intereadum varias Hieronymus ad Paulum atque Eustochium Epistolas scribit.* II. *Scriptis etiam in Michæam, Sophoniam, Naum, Abacuc, atque Aggæum Commentarios.* III. *Num Jonam antea exposuerit, et num breviores alios Commentarios in singulos duodecim Prophetas minores elucubravit?* IV. *Eadem opera alios Prophetas illustrare pergit.* V. *Librum de Viris Illustribus edit.*

I. Compulit nos librorum Scripturæ series tantisper a proposito tramite temporum evagari: nunc ad illum Vitæ Hieronymianæ atque historiæ ordinem revertamur. Statim a Veteris Testamenti juxta Hebraicum translatione refert S. Pater in suorum Catalogo operum ad Paulam atque Eustochium Epistolas, quarum ait, quia quotidie scribuntur, incertus est numerus. Quibus quidem eas ipsas videtur nobis magna ex parte indicare Epistolas, quas cum iisdem sanctis feminis suas nuncuparet varias interpretationes ex Hebræo, vel Commentarios in aliquot Scripturæ libros, elucubravit. Ejusmodi sunt Præfationes in Regum libros, in Isaiam quoque, Jeremiam, atque Ezechielem, itemque in minores Prophetas duodecim, et Jobum, Danielem denique et Paralipomena, quarum tempus ex librorum, quibus præfiguntur, chronica notatione jam constat. His addi possunt aliæ octo, quibus diu antea Commentarios suos in quatuor Pauli Epistolas iisdem nuncupavit: et rursum quibus Ecclesiastici explanationem, Homiliarum Origenis in Lucam interpretationem de Græco iisdem inscripsit. Si quæ præterea aliæ existerunt, vel alterius sunt generis, quæ ab eo notantur, ad nos minime pervenerunt, aut certe nobis æque atque aliis ante nos Criticis diligentissimis ignotæ penitus sunt.

II. Intermiserat, ut diximus, S. Pater Scripturæ versionem ex Hebræo, ut aliis, prout rogabatur, adornandis operibus insudaret. Interpellatus autem est primo, scribendis in Prophetas Minores aliquot Commentariis, quibus certe cum manum admovit, annus adhuc 391 aut subsequens agebatur, jam enim dimidium fere laboris ejus exantlaverat, cum hocmet anno suorum Catalogum operum scribens, istos de nomine Prophetas recensuit: *Scripti præterea, inquit, in Michæam explanationum libros duos, in*

Sophoniam librum unum, in Naum librum unum, in Abacuc libros duos, in Aggæum librum unum. Rem narrat luculentioribus adhuc verbis in Præfatione Commentarii tertii in Amos, tantum quod ordine inverso habet, et Abacucum ab hoc numero eximit, ac differre in aliud tempus videtur. *Præpostero, inquit, ordine atque confuso duodecim Prophetarum opus et cœpimus, et Christo adjuvante, complebimus. Non enim a primo usque ad novissimum juxta ordinem quo leguntur, sed ut potuimus et ut rogati sumus, ita eos disseruimus. Naum, Michæam, Sophoniam, et Aggæum primo φιλοσοφίας Paulæ, ejusque filii Eustochio προσεφώνησα; secundo in Abacuc duos libros Chromatio Aquileiensi Episcopo delegavi.*

III. Difficilis explicatu res est, cum nullum præterea alium de nomine Prophetam abs se per id temporis Commentario illustratum referat, quid sibi tum voluerit, cum secundo in Sophoniam capite se ait, in *Jona Ninivem, id est, speciosam, quæ ad prædicationem Jonæ, id est, Columbæ, egerit penitentiam, Ecclesiam interpretatum fuisse de Gentibus congregatam.* Tantum enim abest, quo tempore Sophoniam exponerebat, ut Jonam jam edisseruisset, ut in illa Præfatione, quam modo laudavimus in Amos, et qua rationem laboris sui reddit, Sophoniam quidem in prima classe, Jonam vero in tertia, et diu post sumpsisse sibi interpretandum significet. *Tertio, inquit, post longi temporis silentium Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui.* Quin etiam Præfatione in hunc ipsum, *Tanto post tempore a Jona interpretandi sumo principium.* Hanc vulgo eruditi difficultatem ita expediunt. S. Doctorem bis volunt operam suam explicandis Prophetis Minoribus impendisse: ac primo quidem in singulos duodecim Animadversiones quasdam breviores atque alterius, quam Commentarii sunt generis, concinnasse, quæ minime nunc quidem exstant, sed perfectæ jam ante 393 annum fuerint. Ad eas porro, inquit, illo in Sophoniam loco respexit. Quod ut verosimilius persuadeant, ipsum Hieronymum in Epistola XLIX. ad Pammachium nu. 4. sideojussorem adhibent, ubi, *miseram, inquit, quædam τῶν ὑπομνημάτων in Prophetas duodecim S. Patri Domnioni, quæ si legere volueris, etc.* Nempe hæc data est 343 anno Epistola, et quæ adeo ibi in duodecim Prophetas ὑπομνήματα denotantur, anteriora omnino, atque alia ab his esse debent, quæ nunc exstant, quippe quæ post annum denique 408 perfecta sunt. Verum supinam satis hanc esse doctorum hominum hallucinationem eo perperam intellecto S. Patris testimonio, ostendimus nos suo loco, eamque porro multis in Generali Præfatione refutavimus. Neque enim in primis in universos duodecim Prophetas Hieronymus adornatum abs se opus dixit, nec singulos Prophetarum libros designat, quibus explicandis operam suam probavit; sed αὐτῶν librum, qui *duodecim Prophetæ* inscribitur, laudat, in eumque se ait fuisse aliqua commentatum. Sic in Dialogo contra Luciferianos in *duodecim Prophetis* scriptum esse dixit, *Sacrificia eorum tamquam panis luctus etc. qui*

unius Osee locus est. Deinde neque ait absolute ὑπομνήματα, *Commentaria*, sed quædam τῶν ὑπομνήματων, ut non universos duodecim, sed aliquos modo ex illis significaret, quos jam per id temporis explanaverat. Nimirum istos recensebamus, Naim, Michæam, Sophoniam, quibus si lubet unum adde atque alterum, Aggæum puta atque Abacuc.

IV. Qui igitur factum est, inquit, ut in Sophoniam scribens, in Jonam *Commentarios* memorat S. Pater, quos post ferme quinquennium adornavit? Ego ibi adversaria sua quædam in eum librum *duodecim Prophetarum*, indicare eum autumo, quæ antea in universos paraverit, quam unumquempiam sibi sumeret perpetua explanatione illustrandum. Adeo licet tanto post Sophoniam tempore explicaverit Jonam, potuit tamen in eum scribens, allegoriam illam laudare ex isto tanquam abs se pridem expositam, cujus texendo *Commentario* licia quædam et subtegmina jamdudum in promptu habebat. Sed neque est præter verisimilitudinem, fuisse postmodum ea verba, *Ninivem, quæ ad prædicationem Jonæ, idest, columbæ, egerit penitentiam, Ecclesiam interpretati sumus de Gentibus congregatam*, a S. ipso Auctore addita, cum, universo expleto opere, librum in ordinem digessit, et supremis, ut fieri amat, curis recognovit. Alterutrum, quod probatur magis, eligito. Certum est, S. Doctorem ab incepto minime destitisse, perque id temporis, quo supra laudatos quinque Prophetas ab se dixit *Commentariis* explanatos, plerosque alios eadem opera fuisse prosequutum, quibus intereandem ad perfectum expoliendis incumbabat. Testatur hoc ipse conceptis in *Catalogo* verbis, quæ statim subnectit, suorumque librorum recensionem concludit, *Multaque alia, inquit, de opere Prophetali, quæ nunc habeo in manibus, et necdum expleta sunt. Ex quo istud sedulo animadvertere est iterum quod proposuimus, fuisse ab eo scilicet in omnes, vel certe plures ex duodecim Prophetis quasdam sibi antea deformatas Animadversiones, quam unum aliquem sumeret exponendum ex integro: atque eas quidem, ut sibi, et cum interpretatione sua totus apte contextus Prophetarum cohæreret, idque ipsum si res ferret, ipse perspiceret, in Adversaria conjecisse. Enimvero non unum aut alterum, Abdiam puta, aut Jonam, se ait præ manibus tunc habere, sed multa alia, et de opere Prophetali in universum, quæ necdum, inquit, expleta sunt.*

V. Atque his quidem totus concluditur *Catalogus* operum, quæ abs se ad annum usque Theodosii Principis decimum quartum, sive Christi 392. lucubrata S. Pater recensuit. Quæ subjungunt aliæ ejus *Catalogi* editiones, *Adversum Jovinianum libros duos, et ad Pammachium Apologeticum et Epitaphium*, in *Mss.* antiquioribus et melioris notæ non habentur, sequæ produnt aliena manu adsuta, ut suo loco ostendimus, ex Præfatione *Commentariorum* in Jonam. Nondum certe fuerant abs Hieronymo adornata, cum eum librum de viris Illustribus scriberet. Hic igitur postremus liber est ex hac serie; quem statim a quin-

que illorum Prophetarum interpretatione emisit, aut verius quo opus illud Prophetale interruptit, ut laudata Præfatione in Jonam testatur. Postquam, inquit, *quinque Prophetas interpretatus sum, Michæam, Naim, Abacuc, Sophoniam, et Aggæum, alio opere detentus, non potui implere quod cœperam. Scripsi enim librum de Viris Illustribus, etc.* Atque ut nihil de anno dubites, tam in exordio, quam sub libri finem, annum laudat decimumquartum Imperatoris Theodosii, quem iste a Calendis Februariis iniiit, et dudum nos æræ Christianæ 392 diximus respondere. Ad id operis auctor atque hortator Hieronymo fuit Dexter, Sanctus Paciani Barcinonensis, ut Baronius quidem autumat, filius, vir certe primarius, et qui *Præfecturam administravit Prætorii*, quod ipse prodit sanctus Pater libro secundo contra Ruffinum, atque ex codicis Theodosiani prosopographia maxime perspicuum est. Accepit vero Noster hanc ἐπέγραψεν eo libentius, quo sibi patientiorem viam sterni sensit ad retundendas Gentilium adversus Christianos obtreccationes, et Celsi cum primis Juliani et Porphyrii, quos ramosos adversus Christum canes vocat, eorumque sectatorum maledicta et scripta refutanda, qui temere blaterabant, *Ecclesiam nullos Philosophos et eloquentes, nullos habuisse Doctores*. Quam porro egregie propositum sit persecutus, et quamvis Scriptorum non modo ante se ferme omnium, sed eorum etiam ex parte, qui adviverent, volumina vel suis ipse oculis perlustraverit, vel certe nota satis ad ferendum de illis iudicium habuerit, ex ipso diaces immensæ propemodum eruditionis Libro, quem articulis CXXXV. sive capitibus per singula Auctorum nomina et scripta absolvit. Nam quod nonnullos præterit, velut Athenagoram, Hermam, atque alium quempiam, ea causa videtur, quod maluerit de non satis sibi notis silere, quam temere aliquid pronuntiare. Cæterum ne longiores æquo nos hisce persequendis videamur, quæ olim in præfixa eidem Libro admonitione per partes animadvertimus, accipe quæ S. ipse Auctor de ea, quam fecisset illi inscriptionem, deque ejus quodammodo indole ac natura ad Augustinum Epistola CXII. rescribens docet. *Dicis accepisse te librum meum a quodam fratre, qui titulum non haberet, in quo Scriptores Ecclesiasticos tam Græcos, quam Latinos enumeraverim: cumque ab eo quæreret, ut tuis verbis utar, cur liminaris pagina non esset inscripta, vel quo censeretur nomine, respondisse appellari Epitaphium: et argumentaris quod recte sic vocaretur, si eorum tantum vel vitas, vel scripta ibi legisses, qui jam defuncti essent; cum vero multorum et eo tempore quo scribebatur, et nunc usque viventium commemorentur opuscula, mirari te cur ei hunc titulum imposuerim. Puto intelligere prudentiam tuam, quod ex opere ipso titulum potueris intelligere. Legisti enim et Græcos et Latinos, qui vitas vivorum illustrium descripserunt, quod numquam Epitaphium huic operi inscripserint, sed de Illustribus viris, verbi gratia Ducibus, Philosophis, Oratoribus, Historicis, Poetis, Epicis, Tragicis, Comicis. Epitaphium autem proprie*

scribitur mortuorum, quod quidem in dormitione sanctæ memoriæ Nepotiani Presbyteri olim fecisse me novi. Ergo hic liber, vel de Illustribus Viris, vel proprie de Scriptoribus Ecclesiasticis appellandus est: licet a plerisque emendatoribus imperitis de Auctoribus dicatur inscriptus.

CAPUT XXIII.

I. Joviniani hæresim S. Pater impugnat duobus libris.

II. Quibus dum virginitatem extollit, nuptiis detrudere visus est. III. Scribit adeo pro iisdem suis libris Apologeticum ad Pammachium. IV. Item ad Dominionem eadem de re. V. Literis quoque Desiderii, ut et propositis sibi ab Amando quæstionibus respondet.

I. Vix dum Gentilium calumniis erudito illo de Viris Illustribus libro Hieronymus satisfecerat, eum eodem hocce anno 392, sive initio insequentis, ut ex laudata sæpius in Jonam Præfatione colligimus, difficiliorem multo laborem subire, et cum hæretico homine congregi coactus est. Jovinianus dives monachus, quod satis dictum est, ut hominem nequissimum intelligas, luxu deditus in tantum ac dissolutus, ut Epicurus Christianorum meruerit audire, hæresim, quæ vitæ suæ consuetudinem excusare videretur, sive intulit primus, sive olim extinctam post Basilidem instauravit, atque editis Commentariis, ut latius serperet, Romanis auribus insinuare contendit, vulgaris plane homo, nec eloquens nec eruditus, sed dicacitate atque arrogantia nemini postponendus. Nefariæ doctrinæ capita hæc erant. Primum *Virgines, Viduas, et Maritas, quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti*. Alterum, *Eos qui plena fide in Baptismate renati sunt, a Diabolo non posse subverti*. Tertium, *Inter abstinentiam ciborum, et cum gratiarum actione perceptionem eorum, nullam esse distantiam*. Denique, *Esse omnium qui suum Baptisma servaverunt anam in regno cælorum remunerationem*. S. Augustinus duas ei præterea, easque ferme exitiosiores blasphemias imputat, quarum altera, Omnia peccata esse paria: altera, Deiparam Virginem Christi matrem, non in concipiendo quidem, sed in pariendo fuisse violatam. Verum hæc duo sunt qui rumore tantum populari jactata de Joviniano existiment, præsertim cum peculiari abs Hieronymo responsione non refutentur. Attamen primum consecrarium ejus videtur, quod de meritorum æqualitate hæreticus asserebat: alterum ex S. quoque Ambrosii Rescripto evincitur, ab illo ejusque asseclis impie assertum, *Virgo concepit, sed non Virgo generavit*. Istiusmodi venena novus Ecclesiarum magister Romanis propinabat; et quemadmodum usuvenire solet, cum vitiiis fræna laxantur, ut Augustini verbis utar, *tantum valet in urbe Roma, ut nonnullas etiam sanctimoniales, de aeorum pudicitia suspicio nulla præcesserat, dejecisse in nuptias diceretur; et virorum etiam sanctorum sanctum cælibatum commemoratione fratrum et comparatione frangeret* (*Retract. lib. II*). Quin etiam asseclas habuit aliquantos Romanos, ut in Syricii epistola scribitur, tum alios, quos Hieronymus ibi notat, ubi, Ne

glorieris, ait, quod multos discipulos habeas: tametsi neminem e sacerdotibus (quod Augustinus testatur) neque alicujus nominis Clericis (*Lib. II*) trahere ad se unquam potuerit.

II. Porro autem, adnente cum primis Pammachio (*Christianorum, ut Hieronymus loquitur, nobilissimo, et nobilium Christianissimo*) aliisque, ut Syricius ait, *fidelissimis Christianis viris, genere optimis, religione præclaris, fuerat de Romani Pontificis sententia damnatus, ejusque scriptura horrida sacerdotali judicio detecta divinæ legi contraria, spirituali sententia deleta*. Sed et Roma expulsus cum suis Mediolanum cum se recepisset, collecta ibi Synodus illos omnium execratione damnatos *Mediolanensi ex urbe quasi profugos repulit*. Denique et Imperiali Rescripto in eum videbatur animadversum *Legis 53 Codicis Theodosiani Tit. V. de Hæreticis, de qua nos plura in præfixa Hieronymianis libris Admonitione disputavimus. Nihil tamen secius cum ejus irritamenta nequitiae, scripta, inquam, Joviniani vulgo prostarent, fortasse etiam avidius legerentur, utpote quæ frena vitiiis adimerent, sancti ex Roma fratres, et Pammachius cum primis, istos hæretici Commentarios ad Hieronymum transmiserunt, rogantes, ut eorum ineptiis responderet, et Epicurus Christianorum Evangelico atque Apostolico vigore contereret* (*Lib. I*). Quod præstare ipse post paucos admodum dies aggressus, initio statim profusus est, multo sibi esse difficilius, scruptionem illam, cujus tanta erat barbaries et tantis vitiiis spurcissimus sermo confusus, nosse quam vincere. Evicit autem duobus libris, quorum priore primam, altero tres alias Joviniani propositiones exagitat, atque ita hominem innumeris Scripturæ divinæ locis obruit, profligatque historicarum testimoniis, et Philosophorum sententiis, ut nullum ei reliquum effugium faciat. Erat hoc tamen opus perquam difficile, quemadmodum ipse etiam Augustinus olim animadvertit, æquantem nuptias virginitati refellere, ut ne istas reprehendere videretur, qui meritam ei vellet palmam deferre (*Retract. Lib. II. cap. 22*). Jactatum quoque tunc vulgo (versipellis enim hæreticus ita blandis illecebris multorum animos fascinaverat) non posse illi Hieronymum respondere *cum laude, sed cum vituperatione conjugii*. Ad hæc supererant Manichæi, qui nuptias damnabant, in eoque multum periculi suberat, ne dum totus in Virginitatis commendatione S. Pater versaretur, favoris in hanc sectam suspicionem injiceret.

III. Satis adeo bene ac sapienter si quid alias, et verbis haud sane paucis ipso libri prioris exordio ab ea sibi Hieronymus suspitione cavit, qua conjugia damnare videretur, palam professus non ignorare se cum Apostolo, *Honorabiles nuptias, et thorum immaculatum*. Nihilominus cum libri allati sunt Romam, facile quod latius pro virginitate disseruerit, iniquior in matrimonium visus est, et non a laicis modo atque indoctis, sed a Clericis quoque et monachis, litteratisque hominibus male audit, eaque passim aspersus est nota. Fuit inter ceteros rumigerulus nescio quis

monachus, qui per imperitorum circulos, muliercularumque συμπεδοια, adversum illum concionaretur, ejusque libros canino dente roderet, laceraret, convelleret. Pammachius his se, quoad ejus fieri poterat, obtreccionibus objiciebat, et convicia concoquebat, quibus amicum suum adversæ partis homines onerabant. Ad extremum cum et sibi parum his proficere videretur, exemplaria Hieronymiani hujusce operis, quanta invenire potuit, undecumque conquisita, studiose subtraxit, deditque ad ipsum Hieronymum litteras, sive interrogans, ut quod obscurum videbatur, clarius edissereret, ut ex Epistola XLVIII. colligere est, sive, ut ex subsequenti, arguens, quod sibi minus placuisset: alicubi enim se quoque ipsum offensum nonnihil indicat. Libellos quoque subtractos, ut notatis locis emendarentur, ad eum remisit. Idem ferme præstitit aliquanto post Domnio, qui et censuras rabulæ ejus monachi superioris memorati addidit, eaque loca quæ scandalum quibusdam facere videbantur excerpta de volumine per ordinem digessit, poscens, ut vel emendaret, vel exponeret.

IV. Et sane maluisset ipse etiam, ut videtur, S. Pater morem amicis suis gerere, et quæ illos movebant, loca ad eorum ingenium interpolare. Verum minime id jam licebat, quod longe ninium lateque per amicos perque æmulos diffusa jamdudum ejus operis exemplaria apud omnes essent. Quamobrem ad Pammachium rescribens, *De opusculis, ait, meis contra Jovinianum, quod et prudenter et amanter feceris exemplaria subtrahendo, optime novi. Sed nihil profuit ista diligentia, cum aliquanti ex Urbe venientes nihil eadem lectarent, quæ se Romæ excepisse referebant. In hac quoque Provincia jam libri fuerant divulgati, et ut ipse legisti, Nescit vox missa reverti. Non sum tantæ felicitatis, quantum plerique hujus temporis Tractatores, ut nugæ meas quando voluerim, emendare possim. Statim ut aliquid scripsero, aut amatores mei, aut invidi, diverso quidem studio, sed pari certamine in vulgus nostra disseminant, et vel in laude, vel in vituperatione nimii sunt, non meritum stili, sed suum stomachum sequentes. Itaque quod solum facere potui Apologeticum ipsius operis libri προσηγορικα, quem cum legeris ipse pro nobis satisfacies; aut si tu quoque narem contraxeris, illum Apostoli περιουσια, in qua de virginitate et nuptiis disputat, aliter disserere compelleris.* Ad Domnionem quoque de maledico illo monacho loquens, *Utique, ait, si errare me arbitratus es... debuit vel arguere, vel interrogare per literas: quod vir eruditus et nobilis fecit Pammachius, cui ego ἀπελογησάμην, ut potui, et Epistola disserui longiore, quo unumquodque sensu dixerim.* Nimirum qua præcedit proximæ, et numero XLVIII in recensione nostra prænotatur ad Pammachium Epistola ἀπελογησαστο, sive suos defendit contra Jovinianum libros, eo nomine traductos invidiose ab æmulis, quod nimius in commendatione Virginitatis, iniquior in nuptias sit visus. Ea de causa etiam Liber Apologeticus inscriptus est. Sunt autem qui velint, fuisse de obtreccionum ejus numero, ia quæ præcipue mente atque animo, Apologeticum

librum hunc scribens, insisteret, Pelagium: quem certe Joviniani discipulum conceptis verbis in Præfatione primi in Jeremiam Commentarii vocat. *Prætereo, inquit, in Jovinianum volumina, in quibus dolet (Pelagius utique, ut ex præcedentibus liquet) virginitatem nuptiis, et nuptias digamiam, digamiam polygamiam esse prælatam. Nec recordatur stolidissimus, et Scotorum pulchris prægravatus, nos in ipso dixisse opere, Non damno digamos, imo nec trigamos, et si fieri potest, octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio pœnitentem. Quidquid æqualiter licet, æquali lance pensandum est. Legat ejusdem operis Apologiam, quam ante annos plurimos adversus magistrum ejus gaudens Roma suscepit: et tunc animadvertet, alienis se vocibus blasphemare, etc.* Quin etiam inter Pelagianæ hæreseos præcursores Jovinianum in Prologo Dialogi adversus Pelagianos recenset, et sub initium libri tertii, *Non erubescis, inquit, explosam atque damnatam Joviniani sententiam sequi? Et ille enim his testimoniis, tuisque nititur argumentis, imo tu illius inventa sectaris.* Minimo hinc tamen conficias, fuisse in Joviniani disciplina Pelagium, atque hunc abs Hieronymo librum Apologeticum adversus eum potissimum scribi. Si discipulus ille dicendus est, qui sententiam alicujus aliquam atque ex parte amplectitur, quicumque litteris damus operam, nostri invicem discipuli sumus. Sed bene profecto est, quod ex laudato loco intelligimus, multo fuisse S. Doctorem meliore fortuna usum in hoc conscribendo libro, quem *gaudens Roma suscepit*, et quo adeo omnes inspersos libris contra Jovinianum nævos, omnes adversariorum calumnias sustulit. Nihil revera ex his libris, quod criminaretur, Ruffinus excepit, qui nullam non Hieronymo detrahendi ansam ex ejus cæteris ferme omnibus scriptis avide arripuit. Alterum, cujus ab illo testimonio admodum, temporis nota est, juncta rerum quas hæctenus edisserimus historia. Nam ipsos quidem contra Jovinianum libros anno 393, aut proxime superiore ad exitum vergente fuisse elucubratos, nihil est dubium. Id nos ex eo dudum evicimus, quod minime istos recenset in suarum lucubrationum Catalogo, quem ad annum usque 392, Theodosii Principis decimumquartum produxit, memoret vero in aliis libris, tamquam proxime ab illo adornatos. *Scripti, inquit in Præfatione Commentariorum in Jonam, librum de Viris Illustribus, et adversus Jovinianum duo volumina, Apologeticum quoque, et de Optimo genere interpretandi ad Pammachium.* Porro ne statim a libris contra Jovinianum putes conscriptum Apologeticum, monet Epistola, quæ huic juncta est, XLIX. ad Pammachium, quantum intercesserit temporis intervallum, cum diu se ait S. Pater querelas æmulorum dissimulasse, suosque ita latius divulgatos libros, *ut aliquanti ex Urbe venientes sibi lectarent, quæ Romæ excepisse referebant.* Hæc nobis unius circiter anni intermedium spatium indicare visa sunt, adeoque vel ad hujusmet anni 393 finem, vel insequentis initium Apologeticum hunc librum diximus esse referendum.

Hunc proxime ad Dominionem Epistola secuta est.

V. Sed et alias per idem tempus Epistolas ad varios dedit. Harum una est XLVII. ad Desiderium, quam et paulo ante scriptam existimamus, quam stylum contra Jovinianum acueret. Hic autem ille idem videtur Presbyter, quem olim diximus, abs Hieronymo petiisse, ut transferret in Latinam linguam de *Hebræo sermone Pentateuchum*, et cui re ipsa in Genesim Præfatio inscribitur. Cum Romæ per occasionem nescio quam versaretur, denuo S. Doctorem rogavit, ut suorum operum exemplum ad se aliquid mitteret. Cui noster respondit, nescire se, cum vulgata jam pleraque omnia essent, quid mitteret, ne eadem fortasse mitteret, quæ jam haberet. Librum vero de Scriptoribus Ecclesiasticis monet, ut apud Marcellam, aut Dominionem legat, *In cujus me*, inquit, *calce voluminis quasi abortivum et minimum omnium Christianorum posui, ubi mihi necesse fuit usque XIV. annum Theodosii Principis quæ scripserim breviter adnotare: quem librum cum a supradictis sumpseris, quidquid de indice minus habueris, paulatim scribi faciam, si volueris.* Nihil præterea de libris in Jovinianum, aut de Apologetico pro iis adjecit: ex quo colligere non immerito licet, nondum hæc fuisse opuscula elucubrata: tametsi fieri potuisse, non diffitemur, ut hæc habere jam apud se, utpote recens scripta, et quæ maxime Romæ in omnium ore essent, suismet literis significaverit Desiderius, quorum occasione alia abs Hieronymo peteret. Utut vero se res habuerit, neque ante annum 393, neque post insequentem datam hanc fuisse Epistolam, argumentum hoc ipsum, totusque ordo rerum persuadet.

VI. Sed utique insequenti, sive anno 394, sex alias Epistolas credi ab Hieronymo scriptas, par est. Ex his præfert etiam nescio quam ætatis prærogativam quinquagesima quinta ad Amandum Burdigalensem Presbyterum postea Episcopum, in qua tribus ab eo propositis ex novo Testamento quæstionibus respondet, atque illi præterea, quam reperit adjunctam in brevi chartula, *Utrum mulier, relicto viro adultero et sodomita, et alio per vim accepto, possit absque pœnitentia communicare Ecclesiæ, vivente adhuc eo, quem prius reliquerat.* Enimvero quod ejus nullam in Catalogo mentionem faciat, manifestum est, post annum 392, quo liber ille prodiit in lucem, hanc fuisse elucubratam; neque enim Epistolam tanti, et sacrorum maxime literarum exegeticam, cæteris accensere prætermisisset. Alia ex parte, quum in tertia quæstione (quam aliqui codices alteram ad Amandum Epistolam inscribunt) de corporum resurrectione disputans, deque sensu, quo Christus Deo Patri omnia, seque tandem ipsum dicitur subjecturus, ita sententiam suam explicet, ut ad lubricam Origenis interpretationem videatur accedere, satis manifesto apparet, hanc antea dictasse, quam se in Origenem adversarium intenderet, post Epiphaniæ videlicet adventum, de quo mox erit dicendi locus, atque adeo circa anni 394 medium. Reliquas porro per eundem hunc diximus temporis tractum scriptas: illam, inquam, ad

Nepotianum de Clericorum vita, doctam, Deus bone, et laboriosam Epistolam, cujus ipse annum veluti digito sub finem notat, ubi ait, *Coegisti me, lapidato jam virginitatis Libello, quem S. Eustochio Romæ scripseram post annos decem, rursus Bethleem ora reserare.* Tum subsequentes duas sub numeris LIII. et LIV. quarum altera ad Paulinum, initia Conversionis ejus, sive perfectioris arreptæ vitæ (quæ nimirum huic anno 394 deputatur) laudat: altera ad Furiam, qua se testatur ante ferme biennium libros contra Jovinianum edidisse: quæ ejusdem anni ad finem properantis nota est.

CAPUT XXIV.

I. *Recedit parumper a Ruffini amicitia declaratione sua quadam in Origenem.* II. *Quæ in apertam simultatem abit occasione adventus S. Epiphaniæ Jerosolymam.* III. *Hinc primordia schismatis Jerosolymitani, cujus præstringitur historia.* IV. *Noster ab Epiphaniæ partibus stat contra Origenistas, Ruffinus Joanni Jerosolymitano adheret.* V. *Dissidii aucta occasio ordinatione Pauliniani fratris Hieronymi ab Epiphaniæ facta.* VI. *Item acrius ob ejusdem Epiphaniæ Epistolam ad Joannem Græcæ scriptam, quam Hieronymus Latine vertit, atque alia ad Pammachium Epistola defendit.*

I. Ea erat ad hæc usque tempora, aut certe proxime præcedentia, Hieronymum inter atque Ruffinum necessitudo, quæ Christianis omnibus exemplo esset, et nemo non admiraretur tam caras (ut loquitur Augustinus) familiaresque personas, cunctis pene Ecclesiis notissimo amicitia vinculo copulatas (Epist. CX). Rebus nempe cæteris, quibus par necitur amicitia, ut nempe a prima usque adolescentia juncta sit, et magnis utriusque virtutibus innutrita, loci proximitas accedebat, (jamdiu enim Jerosolymæ, ubi et Presbyteri ordinem susceperat, Ruffinus morabatur) ut convenire frequentius possent, deque pari ferme vitæ instituto, ac ratione studiorum frui. Quid quod Origenis ingenio uterque plurimum delectabatur, tametsi diverso, ut mox dicemus, intellectu atque animo? Contigit vero (annus tunc agebatur 393) ut Jerosolymam adveniens Aterbius nescio quis una cum aliis, dicam ex eo diceret Ruffino gravissimam, quod Origenem sectaretur, eaque criminatione Hieronymum, utpote Ruffini intimum, et olim Adamantii præconem obvolveret. Ilinc prima mali labe, et discordiarum turbo: Hieronymus enim quem non ita Origenianæ doctrinæ admiratio ceperat, ut non subinde intelligeret, ab ejus sibi esse erroribus metuendum, ejurare palam ejus auctoritatem, eique erranti nuntium remittere, nihil dubitavit. Ruffinus e contrario haud satis sciens studiis suis moderari, clausus domi, ne videre quidem Aterbium ausus est, damnari autem ab amico Adamantium, perquam ægre tulit. Rein narrat S. ipse Pater luculentissimis verbis lib. III. Apologia: *Quis, inquit, Aterbii contra te, et cæterorum rabiam concitavit? Nonne ille est qui et me hæreticum ex tuis amicitia judicabat? cum satisfacissem damnatione do-*

gnatum Origenis, tu clausus domi nunquam eum videre ausus es, ne aut damnare quod nolebas, aut aperte resistens, hæreseos invidiam sustineres. An idcirco testis contra te esse poterit, quia accusator tui est? et paucis interjectis: *Acerbius contra te latrabat Jerosolymis, et nisi cito abiisset, sensisset baculum non litterarium, sed dexteræ tuæ, quo tu canes abigere consuevisti.*

II. Hæc igitur prima Hieronymi in Origenem declaratio, non parum Ruffini ab eo animum avertit, cui ob id maxime visus est mutuum amicitiam lædere, quod ne ab sui amicitia ille hæretici notam subiret, damnatione illa dogmatum Origenianorum cavisse profiteretur. Non diu autem hac sine stetit malum, anno enim insequenti sive 394 hoc nimirum, ad quem nos vitæ Hieronymianæ series deduxit, in apertam simultatem abiit, rixisque atque odiis gravissimis utrinque exarsit. Facti occasio atque historia ita habet. Cum ægre admodum ferret S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, partiaris Origenis pervagari latius, jamque sciret, ipsum Ecclesiæ Jerosolymitanæ Antistitem Joannem in eorum pertractum partes, gliscenti in dies malo, ut maturius occurreret, circa dicti anni Pascha Jerosolymam venit. Exceptus ab Joanne hospitio et mensa, blande illum pro eo ac debuit, erroris commonefecit: quod tamen adeo videtur Joannes parum curasse, ut neque animum adverterit (*Ex Epist. LXXXII. et lib. contr. Joan.*). Ita enimvero conciliari posse autumo, quod post ea, cum palam in Ecclesia correptus est, vehementer doluit, et jurejurando affirmavit, nihil primo secum fuisse ea de re locutum Epiphanium: id quod falsi arguit Hieronymus, contrarium evincere se posse affirmans adductis testibus, nisi Episcopum perjuri reum agere, nefas putaret. Invisit deinde ille et Hieronymum nostrum, apud quem etiam diversatum fuisse, postea dicemus: tum Ruffinum satis diligenter, quem maxime sciebat erroribus Origenis irretitum, et quem ut facilius dedoceret, ac saniozem ad mentem ut retraheret, ad pacis quoque osculum, et ad preces excepit. Sed aut nihil proficiens, aut certe parum privatis ejusmodi adhortationibus, tandem palam atque in populi frequentia in *Anastasi*, sive Templo Resurrectionis, magna animi contentione adversus Origenem declamavit, et Joannem, qui aderat utpote ejusdem doctrinæ alumnum non obscure perstrinxit, ubi admonere eum voluit, *ne Arii patrem, Origenem scilicet, et aliarum hæreseon radicem, et parentem laudare* imposterum vellet. His Joannes usque adeo excaudit, ut misso statim Archidiacono silentium illi imposuerit, et ab incepta publica concione, ut desisteret, imperarit. Data haud multo post occasione, in æde Sanctæ Crucis omnes a se habitos sermones in Quadragesima (sub ejus utique finem, aut certe non multo post Pascha: ob quam causam in id temporis Epiphanius Jerosolymam adventum rejicimus, unica oratione complexus, non solum pro Origene, atque adeo pro se multa disputavit; sed et Anthropomorphitarum hæresim, quæ humanam Deo formam tribuit, et Ori-

genianæ doctrinæ ex diametro opponitur, usus: est publice Epiphanio objicere. Statim iste notam abs se hæreseos depulit, palam professus probari quidem sibi Joannis concionem, et damnatam ab eo hæresim damnari, velle autem ut vicissim ab illo Origeniana dogmata respuerentur. Verum Joannes animo rixandi avido nihil nisi causas vindictæ quærebat, tantaque S. Episcopum molestia affecit, ut inde ad Bethleemi secessum abire coactus sit. Et regressus quidem est denuo Jerosolymam hortatu ac precibus monachorum, ut iterum Joannem de fide conveniret; sed cum vespere vix eo accessisset, compulsus inde est fugere sub mediom noctem, rursumque apud Hieronymum cæterosque solitarios divertit. Testatus tunc etiam est, valde se communionis eum Joanne aliisque partiariis ejus habitæ, pœnitere.

III. Hoc discordiarum turbine via muniebatur schismati Jerosolymitano. Cum enim ab Epiphani, catholicis videlicet partibus staret Hieronymus, et qui magno numero monachi vitam cum ipso Bethleemi agebant: Ruffinus hanc avide occasionem in eum velitandi arripuit, quum se, suamque de Origene præconceptam opinionem tueri Ecclesiæ, cujus erat clero adscriptus, judicio licebat. Adhæsit itaque ille continuo Joanni, cui etiam videtur Origenistarum doctrinas propinasse, et causam pro dignitate atque auctoritate sedis, quam obtinebat, promovendam tradidisse. Neque hoc sane ignorabat Epiphanius, qui eum, ut diximus, cum primis convenerat, quique omne se punctum tulisse existimabat, si eum de temere suscepto Origenis patrocinio deterrisset. Notatum id quoque sæpius Hieronymo, et libro præsertim illo contra Joannem, ubi hunc increpans querentem, sibi privatim ab Epiphanio ante concionem publicam non fuisse objectas Adamantii partes, de quibus palam deinde illum accusaverit: *Ille, ait, objecisse so dicit; tu negas. Ille testes profert; tu non vis audire productos. Ille etiam commemorat, ALIUM esse contentum, tu pro utroque dissimulas.* Et quis iste alius fuerit, non alium scilicet a Ruffino, explicat his lib. III. Apologiæ, *Ergo pollutus erit Epiphanius, qui tibi pacem dedit et in suo corde dolum servavit. Cur non illud verius sit, quod TE PRIMUM monuerit?* Fuerat etiam Ruffinus ex his, qui Epiphanium in concione illa publica deriserunt: quod dudum laudato contra Joannem libro exprobrat S. Pater. *Quando, inquit, contra Origenem in Ecclesia tua Papa Epiphanius loquebatur: quando sub illius nomine in vos jacula torquebantur, tu et Chorus tuus canino rictu, naribusque contractis scalpentes capitu, delirum senem nutibus loquebamini, etc.* Quæ rursum ipsi Ruffino impropertat lib. III. Apologiæ. *Simulque risum tenere non possum, quod a quodam prudente commonitus, in laudes Epiphani personæ. Hic est ille delirus senex, hic est Anthropomorphytes, etc.* Denique, ut gemina his alia pleraque prætermittamus, Ruffinus ipsemet sub finem Prologi in Apologiam Pamphili non partes se modo Joannis sequi, sed nec aliam tenere fidem jactat, quam quæ Jerosoly-

mitanæ Ecclesiæ ab illo prædicabatur. *Hæc, inquit, Jerosolymis in Ecclesia Dei a Sancto Sacerdote ejus Joannes prædicantur. Hæc nos cum ipso et dicimus et tenemus.*

IV. Atque hæc tanta Hieronymi inimicorum conjunctio, quorum alterum iræ impotentem efferebat gradus auctoritas, alterum offensæ recens amicitia suspicio, et quæ sita vindictæ opportunitas asperabat, vix dictu est, quas S. Doctore molestias crearet. Accessit tamen unde et jure in speciem quæri de Epiphano ac Hieronymo videri possent, aut saltem quo horum de recta fide postulationes eluderent, rixarumque causam omnem, et culpam in eos torquerent. Pauliniani, inquam, fratris Hieronymi, ordinatio ab Epiphano facta, Joanne ad cujus ille hactenus parœtiam pertinuerat, inconsulto. Ita vero habuit se res. Jerosolymis abiens Epiphanius, imo aufugiens noctu, ob eas quas diximus causas, in Bethleemi se monasterio recepit. Multa ibi de turbis, quas Joannes concitavit, deque suspecta ejus communione conquestus, multos vicissim e monachis conquerentes audivit, quod Presbyterum non haberent, qui Sacris operaretur: et si res ferret, ut se ab Episcopi Jerosolymitani communione sejungerent, nemo unus apud se esset, qui Sacramenta conficeret. Enimvero Hieronymus, et Vincentius, ut alias notatum est, quamquam fuissent alter Antiochiæ, alter Constanti-nopoli Presbyteratu initiati, numquam tamen adduci potuerunt *propter reverentiam et humilitatem*, ut officio illo fungerentur, ac Noster maxime, qui ordinem ea conditione susceperat. Dignabantur autem uno omnes ore Paulinianum, ex quo, si Presbyterum ordinari se aliquando sineret, plurimam universo monasterio utilitatem reditum iri affirmabant. Sed aut frustra tentatus, ut alias sæpe, tunc ille est (nam et fuga se aliquando ab ejusmodi ordinatione subtraxit) aut opportunam certe magis occasionem occupari Epiphanius in animo habuit. Anno igitur insequenti cum ex eodem monasterio quidam ad eum Episcopum agentem tunc, ut videtur, Eleutheropoli, legati fuissent, ut ei nescio quibus de causis satisfacerent, essetque inter eos Paulinianus, ille et hujus meritum, omnium monachorum testimonio sibi olim comprobatum, et necessitatem monasterii secum animo reputans, propositum sancti adolescentis, qua adhortationibus, quæ imperiis expugnavit, eumque invitum ferme ac reluctantem primo *Diaconum, et postquam ministravit, rursus Presbyterum* ordinavit. Quod quidem non intra Jerosolymitanæ ditionis fines præstare ausus est, sed *in monasterio fratrum, et fratrum Peregrinorum, qui provincie Joannis nihil deberent*: in monasterio, inquam, quod *Vetus* appellabatur, inter Jerosolymam et proximam Eleutheropolim sito, exstructoque olim ab ipso Epiphano. Nihilominus in eo se Joannes graviter offensum, læsæque parœtiæ suæ jura reputans, exarsit ira, multaque privatim et publice conquestus est, rem sese militans apud omnes, et maxime Occidentales per litteras evulgaturum. Interim hæc pretextuit discor-

diarum ab Epiphano, et Hieronymo causam, omnemque in eos transtulit querelarum invidiam. Ausus est etiam scribere ad Theophilum Alexandriæ, quod antequam Paulinianus Presbyter fieret, numquam se Papa Epiphanius super Origenis errore convenerit. Quod rursus non sine stomacho refert Hieronymus Epistola ad eundem Theophilum LXXXII. *Antequam ordinaretur frater meus (Paulinianus), numquam dixit fuisse inter se et sanctum Papam Epiphanius de dogmatibus quæstionem. Et quæ eum ratio compellebat, sicut ipse tandem scribit, inde inter populos disputare, unde nemo quærebat? Nec læsa modo parœtiæ suæ jura, utcumque temere et falso, sed et Pauliniani ætatem nondum acerdotio idoneam causabatur: quæ duo S. Pater ita exsufflat: Fratrem meum causam dicit esse discordiæ, hominem qui quiescit in monasterii cellula, et Clericatum non honorem interpretatur, sed onus. Quumque nos usque ad præsentem diem ficta pacis ostensione lactaverit, Occidentalium commovit aures, dicens eum adolescentulum et pene puerum in parœtia sua Bethleem Presbyterum constitutum. Si hoc verum est, cuncti Palæstini Episcopi non ignorant. Monasterium enim S. Patris Epiphani, nomen Vetus dictum, in quo frater meus ordinatus est Presbyter, in Eleutheropolitano territorio, et non in Æliensi situm est. Porro ætas ejus et Beatitudini tuæ nota est, et cum ad tringinta annorum spatia jam pervenerit, puto eam in hoc non esse reprehendam, quæ juxta mysterium assumpti hominis in Christo perfecta est, etc.* Denique ut hæc possent objecta excusari, illud præcæteris in crimen vocabat, quod promissis Epiphanius defuisset. Asserebat enim, se per sanctum Presbyterum et Abbatem Monachorum Gregorium mandasse illi, ne quemquam ordinaret; et ille hoc pollicitus sit dicens: *Namquid juvenis sum, aut canones ignoro?*

V. Hæc ille Epiphano crimina objiciebat quæ hic diluere statim satagit mihi Epistola, quæ nunc inter Hieronymianas quinquagesima prima habetur. Et primum quidem, de læso scilicet parœtiæ Jerosolymitanæ jure, iisdem ferme, quæ modo ex Hieronymo deliberavimus verbis (unice enim vera responsio illa est) refutat. Alterum de Pauliniani nondum idonea ad Presbyteratum ætate prorsus negligit, quod nempe falsum constaret, jamque explosum videretur. Tertium vero his gravius, quo minime stetit conventis dicebatur, ita sub jurejurandi obtestatione abs se removet. *Audi, inquit, veritatem in sermone Dei, me hoc nec audisse, nec nosse, nec istius sermonis penitus recordari. Suspiciatus autem sum, ne forsitan inter multa, quasi homo oblitus essem, et ob hanc causam sanctum Gregorium suscitatus sum, et Zenonem Presbyterum, qui cum eo est. E quibus Abbas Gregorius respondit, se hoc penitus ignorare. Zenon autem dixit, quia cum eis Presbyter Rufinus nescio quæ alia transitorie loqueretur, etiam hoc dixerit: Pulasne aliquos ordinaturus est sanctus Episcopus? et hucusque stetit sermonem. Ego autem Epiphanius nec audivi quidquam, nec respondi. Mulcet denique mitioribus verbis hominem rixandi avidum, seque ab eo appetitum*

demonstrat non ob impositum quidem Pauliniano Presbyterii characterem, sed ob reprehensum in eo studium Origenianorum dogmatum, a quibus denno ut sibi caveat, sedulo hortatur. *Te autem, ait, frater, liberet Deus, et sanctum populum Christi, qui tibi creditus est, et omnes fratres qui tecum sunt, et maxima Rufinum Presbyterum ab hæresi Origenis, et aliis hæresibus, et perditione earum.* Missa Epistola est per Clericum seu Lectorem: ipsamque *authenticam in manu Rufini venisse* (quamquam ipse ignorare eam se aliquando simulaverit) S. Doctor libro III contra eandem evicit. Et sane debuisset hujusmodi officium Jerosolymitani Antistitis animum recolligere, cumque Epiphanio, et Hieronymo qui ab ejus partibus stabat, pacem concordiamque reducere. Evenit tamen penitus e contrario. Summo illa cum plausu ab aliis præter Joannem ejusque partiaros excepta est Epistola, ejusque *exemplaria certatim Palæstinæ rapiabantur vel ob Auctoris meritum, vel ob elegantiam sermonis.* Id vero ipsum magis magisque animos Joannis exasperabat, qui laudes illas, gratiamque adversus Epiphanium in sui contumeliam transferebat. Illa *per multorum ora volitabat, et mirabantur eam docti pariter, et indocti*: ipse nodum in scirpo quærrere, captare rumusculos, tristitias et rixas inter fratres concitare, et queri suam hæreseos nota doctrinam fidemque perstringi perquam injuriose, quæ ab Orthodoxa veritate adeo non desciscerent, ut eam potius ab adversariorum, uti aiebat, rusticitate assererent ac vindicarent. Pejore loco res erat, quod in promptu illi esset, a quibus etiam pœnas repeteret, et in quos iram effunderet expleretque. Hieronymum quam, cujus præsertim causa motus istos concitatos volebat, et qui sub ipso erant fratres, utpote doctrinis iisdem ac studiis imbutos.

VI. Sed nondum tamen communionis utrinque abrupta societas erat, quam certe Epiphanium ad id usque temporis custodisse, tota illa Epistola prodit, ubi vel se in Joannem *habuisse caritatem*, quam is studiose diruptum iret, vel pro ipso in publicis precibus se orare solitum, declarat. Produunt etiam illa multo luculentius, quibus eumdem Joannem monet, ut ab Origene recedat, in quo sin minus sibi obsequens fuerit, minitantur velut pedem oculum ac manum, quæ scandalo sint, juxta Evangelii præceptum, abs se abscissum iri. *Et vos, inquit, sive oculi vestri, sive pedes fueritis, similia sustinebitis.* Neque enim *sustinuistis, dixit, aut sustinetis, sed sustinebitis*, ut nondum ab ejus se communionem separasse significet, cum hæc scriberet. Quod si nondum ipse se, multo minus monachos Bethleemitas ab Episcopi sui caritate sejungi tunc voluisse, putandum est. Quin potius apparet ex Hieronymi contra Joannem libro, litteras ad eos dedisse, quibus monebat, ut in ejus, quoad fieri poterat, communionem perstarent. Sed utique aliquanto post, cum neque Epistolæ suæ responsum Joannes faceret, neque revocari ad meliorem frugem posse videretur, imo vero majores in dies turbas concitaret, obscuraretque in Origene patrocl-

nando animum, auctor illis fuit, ne temere impostorum cum illo communicarent, ac nisi prius de fide satisfaceret, ab ejus communionem omnino abstinerent. Cum igitur dare ille fidei satisfactionem nollet, secessionem ab eo fecerunt, Epiphanio auctore, et Hieronymo, ut nihil dissimulem, duce. Enimvero cum fidei negotium agebatur, nullum hic volebat esse dissimulationi locum; ipse autem nequaquam impetrare abs se ipso poterat, ut cum hæretico, aut qui ejus labis suspicione laboraret, sinceram in Christo pacem concordiamque haberet.

VII. Tunc vero vix dictus est, quantam Joannes illi apud omnes virulentis obtreactionibus invidiam, et quas asseclis ejus molestias creavit. Calumniatus continuo est, quod *Ecclesiam Dei scinderent, atque, proprium sibi facerent principatum*: duriterque adeo habuit, ut etiam pro sacrilegis traduceret, atque ab omni rerum sacrarum usu, atque ipso Bethleemiticæ ecclesiæ ingressu prohiberet. Quædam quæ molitus est illis, aut reapse intulit mala, refert ipse obiter S. Pater sub finem libri, quem contra ipsum ad Pammachium scripsit, et quæ præstat ab ipso audire: *An non tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethleem Presbyteris tuis, ne Competentibus nostris in Pascha Baptismum traderent, quos nos Diospolim ad Confessorem et Episcopum misimus Dionysium baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras locum Ecclesiæ non habemus? An non tu scindis Ecclesiam, qui mandas Clericis tuis, ut si quis Paulinianum ab Epiphanio Episcopo consecratum Presbyterum dixerit, Ecclesiam prohibeatur intrare? Ex quo tempore usque in præsentem diem videmus tantum speculum Domini, et hæreticis inrantibus, procul positi suspiramus. Nosne sumus qui Ecclesiam scindimus, an ille qui vivis habitaculum, mortuis sepulcrum negat? qui fratrum exilia postulat? Quis potentissimam illam feram totius orbis cervicibus imminentem, contra nostras cervices specialiter incitavit? quis ossa Sanctorum, et innocuos cineres hucusque verberari ab imbribus sinit? De exilio, quo ait, sibi et fratribus procurando, Joannem laborasse, rursus ad eumdem Theophilum loquitur Epistola LXXXII. *Nuper, inquit, nobis postulavit, et impetravit exilium, atque utinam implere, potuisset, ut sicut illi voluntas imputatur pro opere: ita et nos non solum voluntate, sed et effectu coronam haberemus exilii.* Feram autem illam, quam vocat potentissimam, videri diximus Rufinum Arcadii tutorem, illum perduellem, qui Gothorum ducem Alaricum contra Arcadium arcessivit, ut ejus ipse imperium occuparet. Quod item verosimilius ex eo sit quod addidit, non potuisse Joannem implere quod volebat: repulso enim Alarico, trucidatus est Rufinus sub anni 395 finem, ejusque adeo Rescriptum de Hieronymo in exilium deportando, nihili fuit.*

VII. hæc movit feritatis ac duritiæ exempla in Joannis efferato animo, multaque Origenismi lue infecto, nata ad deducendum ab errore hominem, et gratiam cum ipso reconciliandam Epiphanii Epistolæ. Sed et accidit ex Hieronymi parte paulo post quam

illa ad vulgi manus devenit, ut graviorum ferme rixarum semina jacerentur, quæ post ferme annum et sex menses, ut suis locis dicemus, efferbuerunt. Placet vero quod in more positum habemus, ipsiusmet S. Patris verbis hanc quoque rem loqui. *Erat, inquit, in Monasterio nostro vir apud suos haud ignobilis Eusebius Cremonensis, qui cum hæc (Epiphani) Epistola per multorum ora volitaret, et mirarentur eam pro doctrina, et puritate sermonis, docti pariter et indocti, cæpit a me obnixè petere, ut sibi eam in Latinum vertirem, et propter intelligendi facilitatem apertius explicarem: Græci enim eloquii penitus ignarus erat. Feci quod voluit, accitoque Notario, raptim celeriterque dictavi, ex latere in pagina breviter adnotans, quem intrinsecus sensum singula capitula continerent; si quidem et hoc, ut sibi soli facerem, oppido flagitaret. Postulavique ab eo mutuo, ut domi haberet exemplar, nec facile in vulgus proderet. Res ita anno et sex mensibus transiit, donec supradicta interpretatio de scriniis ejus novo præstigio Jerosolymam commigravit. Nam pecunia, ut perspicue intelligi datur, vel gratuita malitia, ut incassum corruptor nititur persuadere, compilatis chartis ejus et sumptibus, Judas factus est proditor, deditque adversariis latrandi contra me occasionem, ut inter imperitos concionentur, me falsarium, me verbum non expressisse de verbo, pro honorabili dixisse carissimum, et maligna interpretatione, quod nefas dictu sit, ἀδελφώτατος πάππας, noluisse transferre. Concitaverat autem has turbas omnes Ruffinus, cujus erat eo infensor animus, atque inimicitia, quod in aciem procedere minime ausus, clam ad scorpium, ut abs Hieronymo vocatur, instar feriebat, aliisque rixandi ansas, atque arma suppeditabat.*

Atque ejus quidem novo præstigio imputat S. Pater, quod de scriniis Eusebii Jerosolymam commigravit illa Epistola, et ad ipsius manus, aliorumque hostium suorum venit. Aperte, etiam culpam monachi, ad furtum perpetrandum sollicitati, in eum regerit, *Ista est, inquit, Epistola quam de cubiculo fratris Eusebii nummis aureis produxisti. Quamquam sunt quibus verosimilius videtur, fuisse gratuita malitia furtum illud admissum, quandoquidem pseudomonachus non chartis modo, sed etiam sumptibus improbas manus dicitur injecisse: neque par sane sit credere, fuisse illum pretio conductum, ut aliud quam chartas de scriniis Eusebii auferret. Nihilosecuius cum haud satis constet, quid sibi eo loci velit sumptus vocabulum, ac possit de ejusmodi aliis chartis aut rebus accipi, in quas Eusebius impensas egerit, levior illa videtur excusatio, quam quæ purgare Ruffinum, callidum sane, et magnarum virium adversarium possit. Quin ipse etiam videtur alibi apud Hieronymum, ejus corruptorem se monachi, tantum non illicitari: *Et aude quidam ex iis (utique Ruffinus) adducto supercilio, et concrepantibus digitis eructare et dicere: quid enim ei redemit, si sollicitavit? Fecit quod sibi profuit. Quem Hieronymus insectari pergit, Mira, inquit, sceleris defensio, quasi non et latrones, et fures, et piratæ faciant quod sibi prodest. Certe Annas et Caiphas sedu-**

centes infelicem Judam, fecerunt quod sibi utile existimabant. Urget idipsum lib. III. Apologiæ, ubi ejus artibus ac dolis imputat, clam fuisse codicem quemdam Bethleemi in cubiculis S. Fabiolæ senioris et Oceani, utroque-inscio, collocatum, Quis, inquit, Bethleem de cubiculo fratris Eusebii suratus est Epistolam laudatricem tuam? ejus artificio, et a cujus ministris in sanctæ Fabiolæ hospitio, et viri Christiani et prudentis Oceani, inventus est codex, quem illi nunquam viderant? An idcirco te existimes innocentem, si quidquid tuum est in alios conferas? Existimo quædam etiam de illa Epistola, quæ facile in calumniam trahi possent, Ruffino pridem suboluisse: quomobrem scelestum monachum ad compilanda Eusebii scrinia sollicitaverit. Re enim vera cum in suas denique manus ea venit, tot illos triumphos egit, et clamores excitavit, periinde ac rem diu multumque expetitam, tandem esset consecutus. Nullus tum finis insultandi liberius in Hieronymi caput, ac debacchandi, ejusque non tam imperitiæ carpendæ, quam fidei, quippe qui aliis atque in Græco erant, sententiis ac verbis Epistolam illam in Latinum transtulisset.

Neque porro nostrarum est partium heic loci, ferre de illa interpretatione iudicium, et causam S. Doctoris adversus æmulorum impugnationes tueri. Quin fateri potius non decet, siquidem ἀδελφώτατος πάππας Joannem honoris gratia Epiphanius compellavit, male hanc reverentiæ significationem fuisse ab illo aut penitus prætermissam, aut dilutiore alia quapiam formula imminutam. Maxime vero ob eam rerum conditionem ac temporis, cum, ingravescens utrinque animorum motibus atque odiis, quod casu atque aliud agens in illius observantiam peccasset, vix poterat, aut ne vix quidem oscitantiam tribui. Ultra etiam dederim, eam interpretationem vitii nec levissimis sane, nec paucis laborare, siquidem expendenda res est a Græcis quæ supersunt verbis, et a quibus initium ducebat Epiphani) Epistola, Ἔδει γὰρ ἡμᾶς, ἀγαπητέ, μὴ τῆ σήμερον χιθῶν φέρεσθαι γὰρ, quæ sic ab Hieronymo reddita sunt, *Oportebat nos, dilectissime, Clericatus honore non abuti in superbiam. Neque enim jure primum illud γὰρ prætermissum est, nec recte redditum ἀγαπητέ dilectissime pro dilecte, tum additum honore, quod minime in Græco habetur, denique abuti in superbiam pro eo quod est σήμερον φέρεσθαι, alienum fortasse adhuc magis videatur. Alia ejusmodi cursim dictatæ interpretationis vitia facile adducar in reliquo contextu occurrisse, ut credam: absit tamen, ut hinc putem merito S. Interpretem Ruffino pœnas dedisse. Mitto quod nullum in his sensus dispendium est, tametsi longius interdum phrasæ et verba abluunt. Una illa Hieronymum ratio excusat, totamque ejus causam validissimo præsidio munit, quod in privatos amici usus, et intra domesticos parietes perpetuo detinendam interpretationem illam adornarit, nihil aliud sollicitus, quam ut ab ignaro Græci sermonis alumno, mens sensusque Auctoris apertius intelligeretur. Ad hunc tueri se modum satis ipse habet Epist. LVII. *Volo in chartulis**

meis quaslibet ineptias scribere, commentari de Scripturis, remordere lædentes, digerere stomachum, in locis me exercere communibus, et quasi limatas ad pugnandum sagittas reponere: quamdiu non profero cogitata, maledicta, non crimina sunt; imo ne maledicta quidem, quæ aures publicæ nesciant. Tu corrumpas servulos, sollicites clientes, et ut in fabulis legimus auro ad Danaem penetres, dissimulatoque quod feceris, me falsarium voces: quum multo pejus crimen accusando in te confitearis, quam in me arguis. Cæterum neque illa inepta versio habita est, neque aliis bene multis bonæ interpretationis laudibus caruit. Scimus etiam ab Alvaro sæculi IX. Scriptore non contemnendo laudari in S. Eulogii Vita, ut alios magno numero secutis maxime temporibus prætereamus.

VII. Sed et commode in rem litterariam ac nostram cessit, quod illa concertatione provocatus S. Pater, ut calumnias adversariorum retunderet, suamque in Græcis maxime Scriptoribus Latine explicandis rationem comprobaret, novam ad Pamphili Epistolam adornavit, de optimo genere interpretandi, in qua tam veterum omnium eruditorum, quam sacræ Scripturæ Interpretum testimoniis atque exemplis docet, quodnam sit optimum ejus artificii genus, illud scilicet esse ostendens, quo sensus e sensu, non verbum e verbo transfertur. Atque, inquit, syllabas aucupentur et literas, tu quære sententias. Locum tenet hæc in nostra recensione LVII. et cui proprie sit hujusce anni, in cujus historia versamur, 395, parti adscribenda, satis abunde in Chronologicis ad eam notis demonstratum est. Reliqua nos quæ ad Vitam S. Doctoris pertinent, persequamur.

CAPUT XXVIII.

I. Dissidentes in concordiam redigere Archelaus Comes incassum nititur. II. Id ipsum Theophilus Alexandrinus Episcopus frustra conatur. III. Culpa potissimum Isidori Presbyteri Origenistæ, quem legatum in eam rem miserat. IV. Hinc Theophili adversus Hieronymum benevolentia refrigerat. V. Scribit nihilominus Sanctus Pater ad eum sæpius. VI. Scribit etiam ad Marcellam, et Epitaphium Nepotiani. VII. Commentarios quoque in Jonam. VIII, IX, X. Tum alias ad alios Epistolas, in quibus nonnulla de Origeniana causa.

I. Ingravescentes quotidie magis Joannem inter atque Epiphanium, sive illos qui ab alterutrius partibus stabant, animorum motus compescere studuit Archelaus Comes, quem ornat Hieronymus disertissimi et Christianissimi viri laudibus (*Lib. contr. Jo.*). Hoc intercedente pacis sequestro, quoniam violatæ fidei suspicio discordias pepererat, constitutum est, ut a fidei professione via ad concordiam muniretur. Postulatum est, inquit S. Pater, ut futuræ concordiæ fides juceret fundamenta. Condicto, in quem pars utraque locum conveniret, pollicitus ipse etiam est Joannes, esse se venturum. Instabant dies Paschæ: frequens Monachorum turba convenerat: ille unus expectabatur in loco: et quid faceret nesciebat: verba

S. HIERONYMI. I.

sunt Hieronymi, cujus vestigia accurate persequimur. Repente mandavit, ægrotare nescio quam: illo die se non posse venire. Ludione, subjungit Hieronymus, an Episcopus hæc loquitur? Pone verum esse quod dicis, propter unius mulierculæ delicias, ne te absente doléat caput, fastidium sustineat, stomacho perfrigescat, Ecclesiæ causam negligis? tot virorum et Christianorum et Monachorum contemnens præstantiam? Nolumus occasionem dare: videbamus enim stropham dilationis tuæ, injuriam patientia vicimus. Rescribit Archelaus: monet altero et tertio die manere, si vellet venire. At ille occupatus (muliercula enim vomere non cessavit) dum nauseam evasisset, nostri penitus oblitus est. Momenti nimirum Archelao, et ad paciscendum pluries invitanti, eadem continuo usus excusatione, minime paruit.

II. Post duos menses tandem expectatus venit Isidorus (*Ibid.*), celebris ille Presbyter Alexandrinus et Monachus, legatus ad Joannem atque alios a Theophilo Alexandrino Episcopo missus cum literis, quibus contentiones illas sedare, adversosque invicem in gratiam animos reducere tentabat. Sive enim censeret ille officii hoc sui esse, pro sedis quam obtinebat fastigio: sive, quod abs Hieronymo proditum est, Joannis precibus et querelis excitatus, ut his se concertationibus opponeret, arbitrum se inter utramque partem dedit. Verum idem ipse ea tempestate Origeni favebat, quippe qui totus adversus Anthropomorphitas, Origeniano dogmati oppositos, ferebatur. Auctor quoque est Palladius in Vita Chrysostomi, scriptas ab eo litteras fuisse ad Siryionem Romam, quibus Epiphanium tamquam hæreticum atque auctorem schismatis, ob Pauliniani videlicet ordinationem, traducebat. Ad hæc erat ipse cum Joanne et Rufino, discipulo olim suo, junctus amicitia, eorumque opinione jamdudum occupatus. Quare istud inter cætera jure expostulat S. Pater, quod Joannes ad Alexandrinum Episcopum, ad quem nihil de Palæstina pertinebat, potius quam ad Casariensem, cui suberat tamquam metropolitæ, et cui, ait, spreta communione tua, communicare nos noveras (*Ibid.*), vel ad Antiochenum totius Orientis Patriarcham, litteras suas direxisset. Sed novi, subdit, cur Cæsariam, cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid fugeres, quid vitares. Maluisti occupatis auribus molestiam facere, quam debitum metropolitano tuo honorem reddere. Nec hoc dico, quod præter amicitias, quæ suspicionem generant, quidquam in legatione reprehendam. Denique fuerat etiam a Rufino sæpe in Hieronymum instigatus, quod hic Paulum quemdam incertæ sedis in Ægypto Episcopum, ejectum a Theophilo, in suo Monasterio recepisset, et, ut æmulus ille blaterabat, summo nisu, et omnibus studiis defenderet, eique auctor esset, ut per Imperiale Rescriptum reciperet sacerdotium, quod Episcopali judicio amiserat. Quæ ita quidem ille exaggerabat, vertebatque in Theophili contumeliam, ut etiam ejusdem ad Hieronymum epistolas, ne redderentur, aliquando prohibuerit. Mox autem, reponit S. Pater (*Quatre.*)

lib. III. Apologiæ, communionis, et Papæ Theophili nullum alium testem vocabo, nisi ipsum, quem a me *ÆSUM* stimulas : cujus Epistolas ad me semper datas, etiam eo tempore non ignoras, quo mihi eas reddi *PROHIBEBAS*, et quotidie missis tabellaris inimicum ejus *amicum nostrum et familiarissimum jactabas*, et eo quæ nunc impudenter scribis, mentiebaris, ut *illius contra nos odia concitares, et injuriæ dotor, fidei feres* oppressio.

III. Hujus erat ingenii Theophilus, sicque tunc temporis animatus, cætera pietatis juxta atque eruditionis laudibus maxime insignis. Isidorus autem ille, quem ad Joannem adlegaverat, et cujus volebat opera incensos animos delinire, merus erat Origenista, Joannis et Ruffini partibus impense addictus, turbandis denique rebus, quam componendis aptior. Ante tres menses quam Jerosolymam accederet, litteras dedit, quæ *portantis errore* (sive ut Vastelius legendum autumat in Vindiciis *portantes terrorem*, neque enim satis placet *portantes errorem* [Lib. cont. Joan.], quod libri quidem omnes habent) *Vincentio Presbytero redditæ sunt, quibus cohortabatur ducem exercitus sui, ut super petram fidei* (hoc quippe nomine Origenismum donabat) *stabili persisteret gradu, nec Hieronymi, ejusque sectatorum minis terreretur* : pollicitus, etiam *antequam legationis esset ulla suspicio*, affuturum se propediem ad cuneos adversariorum proterendos. *Quomodo* (aiebat) *fumus in aere dissolvitur, et cera ad viciniam ignis liquescit : ita dissipabuntur qui semper Ecclesiasticæ fidei resistentes, nunc per homines simplices* (puta Monachos) *eandem fidem inquietare conantur*. Et designari quidem per *ducem exercitus Ruffinum*, ex his manifesto liquet, quæ eadem fere verba in eum profert Hieronymus lib. III. Apologiæ ubi de illis Isidori litteris, *Ne irascantur, inquit, is tibi, qui contra Papam Epiphanium ad te Epistolas dirigens, hortabatur, ut permaneres in fidei veritate, et non mutares ullo terrore sententiam : quæ Epistola holographa tenetur ab his, ad quos perlata est, nimirum a Vincentio Presbytero*. Ad hunc itaque modum animatus venit egregius iste pacis sequester : Joannem ejusque assecclas adit, legationemque suam renuntiat. Adit etiam Theophili nomine iterum ac tertio Hieronymum, sed commissas sibi ad hunc litteras reddere nunquam voluit. Quumque diceret S. Pater, *Si legatus es, redde legationis Epistolas : si Epistolas non habes, quomodo legatum te probabis ? Respondit se habere quidem litteras : adjuratum tamen ab Jerosolymorum Episcopo, ne eas redderet* (*Ibid.*). Ita studiosum se Joannis manifesto prodens, spem pacis omnem peremit, reque infecta discessit. Discedenti Joannes Apologiam pro sua causa ad Theophilum deferendam dedit : cui concinnandæ operam ipse suam Isidorus contulerat, *ut idem esset, quemadmodum Hieronymus exprobrat, et dictator et bajulus literarum* (*Ibid.*). Has deinde litteras idem Jerosolymorum Episcopus quaquaversum misit, utque per totum orbem diffunderentur, præsertim vero ut *Occidentalium Sacerdotum aures*

commoveret, summo studio egit. In illis appetitum se ab Epiphanio per summam injuriam, minime vero ob violatam ulla ex parte Origenianis dogmatibus fidem, ex eo potissimum declarabat, quod suam illi communionem nunquam refulgorat. Proinde Hieronymum, totque cum eo Monachorum choros, quasi factiosos homines, atque hostes publicos traducebat.

IV. Nec sanc res male ex Joannis sententia successit, occupatus siquidem hisce ejus literis, atque Isidori insurrectionibus Theophili animus ægre ferre visus est, Hieronymum pacis condiciones, ad quas illum per legatum suum invitaverat, respuisse. Diu igitur multumque fuit, quum nullas ad eum literas dedit, neque ab illo scriptas ad se ullo responso dignatus est. Sed numquam tamen ab officiis cessavit S. Pater, et subiratum contra se malis adversariorum instigationibus virum cætera eximii virtutibus præditum, sulque antea studiosum delinire, et qua voce, qua scriptis interpellare nunquam destitit. Tandem et vicit crebris officiis hominem, qui diuturnum silentium rupit, et subanaras quidem, sed literas tamen ad S. Doctorem dedit. In his eum primo de sacrorum Canonum observantia monet, quod nimirum Episcopo suo Jerosolymitano non obsequeretur, eique communicaret, et fratrem Paulinianum rite ordinatum contenderet. Queri deinde videtur, quod Origeniano nomini, ejusque ingenii amatoribus usque adeo infensum se gereret, ubi nullum Fidei dispendium esset. Hæc nos excepimus querimoniæ potius, quam amicitiarum et benivolentiæ signa ex ipsiusmet S. Patris responsione ad Theophilum, quæ locum in recensione nostra Epistolarum tenet LXIII. et quam huc referre operæ pretium est. *Meminit, inquit, Beatitude tua, quod eq tempore, quo nobiscum tacebas, numquam ab officiis meus sermo cessaverit : nec consideraverim quid tu pro dispensatione tunc faceres, sed quid me facere conveniret. Et nunc sumptis Dignationis tuæ Epistolis, fructum aliquem cepisse me video Evangelicæ lectionis*. Et paulo post, *Quod de Canonibus Ecclesiasticis mones, gratias agimus : quem enim diligit Dominus corripit, et flagellat omnem filium, quem recipit. Sed tamen scito nobis nihil esse antiquius, quam Christi jura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse, Romanam fidem, Apostolico ore laudatam, cujus se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur*. Denique : *Super nefaria hæresi* (Origenianique) *quod multam patientiam geris, et putas Ecclesiæ visceribus incubantes tua posse corrigi lenitate, nullis Sanctis displicet, ne dum paucorum penitentiam præstolaris, nutrias audaciam perditorum, et factio robustior fiat*. Hæc data est Epistola anno circiter 397; hoc nimirum spatio temporis, in cujus describenda historia versamur, ut satis manifesto in Chronologicis ad eam Notis ostendimus.

IV. Sed et alia paulo ante, ab anno scilicet 395. mediis in altercationibus scripsit S. Pater, quæ hec in unum recensere historiæ series atque ordo jubet. Priore loco venit Epistola ad Marcellam numero

prænolata LIX. qua sanctæ femine respondet quærenti inter cætera, quid illud sit, quod per transitum in ejus Opusculis legisse dicebat: quod Agni, qui stant a dextris, et hædi qui stant a sinistris, Christiani essent atque Gentiles, et non potius boni et mali. Respondet autem, hoc se scripsisse aliquando, minime quidem recordari: quantum tamen dictanti subito memoriæ occurrit, secundo contra Jovinianum volumine ab se nescio quid simile disputatum. Conjecimus adeo nos S. Patris Epistolam (quando propiora ad verum argumenta non suppetebant) post aliquot annos, duos puta, aut tres ab exaratis contra Jovinianum libris, nam neque alia, quam quæ in Præfatione Commentariorum in Jonam memorantur, et ab anno 392 ad 395 elucubrata sunt, videtur Marcella præ oculis tunc habuisse: neque Hieronymus ita recens vulgatos abs se contra Jovinianum libros significat, ut rem animo repetenti, ille demum locus occurreret. Per idem tempus, sive ipso 395 exeunte anno, subito febrî correptus eximius ille Altiniensis Ecclesiæ decor, in quo uno Clericalis vitæ ornamenta omnia reposita videbantur, Nepotianus diem obiit. Erat illi jam inde a puero, ut sæpius narratum superius est, Hieronymus omni voluntate addictissimus, accedente ad cæteras Sancti adolescentis laudes, quæ amorem ab invitis extorquerent, vetere avunculi ejus Heliodori cum S. Doctore amicitia, quæ causas benevolentis conduplicaret. Denique cum ipse, *luctante anima*, supremas jam voces emitteret, apprehensa avunculi manu necessitudinis cum Hieronymo reordatus, *hanc*, inquit, *tunicam qua utebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi, ætate patri, fratri collegio, et quidquid a te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas. Atque in talia verba defecit, avunculi manum, mei* (Hieronymi) *recordatione contrectans*. Itaque illo ad superos translato, non potuit S. Pater quin vicem suam, et amici Heliodori doleret, seque et illum, quoad ejus fieri poterat, consolaturus, in defuncti laudibus celebrandis tantisper acquiesceret. Arripuit itaque stylum, et LX. in nostra recensione Epistolam ad Heliodorum scripsit, quæ ut in Chronologicis ad eam Notis, ita debet initio anni 396, initio adfigi, ut neque ulterius differri, quod passim docti homines faciunt, neque rursus præponi jure possit. Argumenta quibus id evicisse nobis videmur, recolenda omnino, atque huc transferenda sunt, ne iisdem repetendis longiores æquosimus, et filum abrumperere necesse sit historiæ quam teximus.

V. Ab hac panegyrica, ut ita dicam, Epistola ad Commentarium adornandum in Jonam se contulit S. Pater, quod opus intra anni 396 fines conjecimus, licet subsequentis initia attigisse, et nobis ipsis persuasum aliquando fuerit, et quas S. ipse Pater rationes in Prologo, indicare videantur. *Triennium*, inquit, *circiter fluxit, postquam quinque Prophetas interpretatus sum, Michæam, Naum, Abacuc, Sophoniam, Aggæum; et alio opere detentus non potui im-*

*plere quod cœperam: scripsi enim librum de Illustribus Viris, et adversum Jovinianum duo volumina, Apologeticum quoque, et de Optimo genere interpretandi ad Pammachium, et ad Nepotianum, vel de Nepotiano duos libros, et alia quæ enumerare longum est. Scilicet Nepotiani Epitaphium, qui liber sive Epistola verbis de Nepotiano indicatur, et quem nos anni 396 initio affigendum diximus, ut neque ulterius differri, neque rursus præponi ullo modo possit. Adeo cum a priorum quinque Prophetarum Interpretatione, ipsoque libro de Viris Illustribus, ad hujus Epitaphii elucubrationem (quod est ab exacto ut multum anno 392 ad 396) plus quam triennii spatium intercedat, idque per Hieronymum putare liceat, qui *circiter* adverbio usus est: haud tamen licet ad subsequentem usque septimum supra trecentessimum nonagesimum excurrere, ut satis sibi illa temporis notatio constet. Aliter jam non *triennium* dicere S. Pater debuisset, sed *quadriennium*: in quam lectionem qui locum ejus sollicitare ausus est vir cetera doctissimus, temere et contra librorum omnium fidem egit, ut suo nos loco ostendimus. Hoc igitur, quanto quidem serius licet, hoc tamen anno, post *circiter triennio* interceptos in minores Prophetas Commentarios, Pammachii precibus superatus ad Jonam explicandum se contulit.*

Facile etiam eidem Pammachio, sibi cum primis conjunctissimo, opus inscripsit: tametsi in editis libris, et quibus contigit ad hanc diem uti mss. minime ille quidem, sed *Cromatius Papa venerabilis* in Præfatione compellatur. Diximus hac nos de re in Notis ad eum locum: nunc aliud, nec sane præter verisimilitudinem, in mentem venit. Fuerit olim in aliquo exemplari scriptum *Chromati*, pro quo monuerit Antiquarius ad libri oram *Pammachi* restituendum: alius qui exemplar illud sibi describendum sumpsit, literas, mentemque ejus, qui emendaverat, non assequutus, putarit ibi compendiariis notis non *Pammachi* (quandoquidem Chromatius in textu legebatur) sed *Papa Venerabilis* significari, quod et hujus propria honoris significatio est, et similitudinem litterarum quamdam habet, atque hæc adeo verba pro nomine illo intruserit. Ut ut habuerit se res, certe hunc a se fuisse Pammachio inscriptum Commentarium, asserere ipse alibi Sanctus Pater videtur, ubi ipsum alloquens amicum suum, *Tertio*, inquit, *post longi temporis silentium Abdiam et Jonam tibi imperanti edisserui* (Præf. lib. III. in Amos). Sed et pluribus hic locus difficultatibus obnoxius est, et ut sæpe alias diximus, et dicturi infra sumus, commodo opus habet interprete: aut tota isthæc de Commentario in Jonam historia, depravatis alicubi interpolatorum fraude testimoniis, componi nequit. Cæterum insignis in rem nostram locus est in caput II. ex quo adhuc Origenismi factionibus agitatam Jerosolymitanam Ecclesiam, cum ea scriberet Sanctus Pater de corruptione et incorruptione corporum, liquet. *Hoc*, inquit, *illi* (Origenistæ) *ad Occasionem suæ ducunt hæreseos, ut sub persona Christi mentiantur Antichri-*

stum, *Ecclesias teneant, ut ventrem pinguisimum nutriant, et carnaliter viventes, contra carnem disputent.* Joannes scilicet, ejusque asseclæ Origenis defensores, neque enim alium quam Episcopum denotant verba ut *Ecclesias teneant*, quemadmodum erroribus irretitos Origenianis illa *contra carnem disputent*; scitum est enim, quod cum corporum resurrectionem fateri cogentur, carnem nominare refugiebant. Hieronymus contra Joannem, *ad decipiendas aures ignorantium novies corpus, et ne semel quidem carnem nominas.* Denique Ruffinum propius illa perstringunt, *ut ventrem pinguisimum nutriant*, quem sæpius alibi Sanctus Pater, *pinguem et nitidum et bene curata cute* hominem ridet.

VI. Acuit quoque stylum per hæc tempora Hieronymus in Vigilantium, qui cum ante ferme biennium apud eum fuisset in Palæstina, Paulini ut videtur litteris commendatus, sibi ipse defuit, nullumque ex illo contubernio atque exemplis monachorum fructum percepit: unde et ipso quo advenerat, vel subsequenti proxime anno ejus pertæsus vitæ discessit. Fuerat hic subdolæ mentis homo natione Gallus (Baronius Hispanum putat) Sulpitii Severi ad Paulinum Nolanum, et Paulini ad Hieronymum litterarum portitor, atque horum fortasse testimoniis inflatus, aliis fucum fecerat, et ad Presbyteratus quoque gradum evectus est. Cum Bethleemi apud S. Doctorem diversaretur, Ruffino, ut creditur, aures accommodavit, eoque auctore Hieronymum despectui habuisse in eo dicitur, quod et legere palam Origenis libros, et sequi errores auferet. Cui S. Doctor licet multis satisfacere contendisset, haud tamen persuasit, sive edonare effrenem ejus ingenii licentiam valuit: quin potius ab ipso per summam injuriam hæreseos accusatus est, in eamque pertractus criminationem et calumniam amicus ejus Oceanus, qui Roma tunc temporis se transtulerat in Palæstinam. Neque magis acquievit ille testimonio Presbyterorum Vincentii et Pauliniani (qui tunc forte e Cypro Hieronymum fratrem inviserat) neque denuo Eusebii Cremonensis pro recta S. Patris fide iudicium est veritus. Recepit tamen se tandem aliquando, et facti pœnitens, veniam abs Hieronymo petiit, eidemque de Resurrectione, deque carnis veritate verba facienti, manibus et voce applausit. Ita sive ex animo reconciliatus, sive reconciliationem simulans, decessit e Palæstina: cujus discessus causam satius duxit Hieronymus ad Paulinum de illo scribens, quem sibi commendaverat, silentio præterire, quam dicere. *Cur, inquit, Vigilantius tam cito a nobis profectus sit, et nos reliquerit, non possum dicere, ne lædere quempiam videar: tamen quasi prætereuntem et festinantem paululum retinui etc.* Regressus autem in Occidentem, atque hanc proprie Italiæ partem ac regionem pertransiens, inter Adriæ fluctus, *Collique Regis Alpes*, denuo Hieronymum ejusque amicos reprehendens, et tamquam hæreticos traducere coæcepit, quin etiam in patriam redux *lacerare* scriptis S. Doctorem, et *voluminibus suis obruere* non dubitavit. Suarum proinde partium esse existi-

mavit Sanctus Pater, quamquam non is esset Vigilantius, qui responsum mereretur, purgare obrectatoris impudentissimi accusationes et calumnias: deditque ad eum Epistolam in recensione nostra LXI qua et singulas ejus malignas postulationes refellit, et ut aliquando vero ex animo resipiscat, et pœnitentiam agat, hortatur. Scripsisse autem eam circa anni 396 finem vel subsequentis initia, ex hactenus dictis liquet; jam enim redierat Vigilantius in Occidentem, et S. Doctoris cum in itinere, tum in patria famam atterebat; decesserat vero e Palæstina sive Bethleemi monasterio, cum degeret ibi adhuc Vincentius, quem anno 397, nisi si etiam major circa præcedentis finem, certe quidem *multo tempore ante Ruffinum Romam venisse*, ex Apologiæ libro tertio discimus.

VII. Ejusdem est temporis, ut et ferme argumenti, quam dedit S. Pater LXII. in recensione nostra Epistolam ad Tranquillum, qui ab eo petierat de librorum Origenis lectione, utrum vitanda illa penitus esset, ut Faustinus nescio quis contendebat, an, quod alii passim existimabant, permittenda ex parte. Cui S. Pater, qui sententiam hanc alteram præferre nequaquam dubitat, asserens eos, *qui in amorem Origenis nimium, vel in odium stomachi sui pravitate ducuntur, maledicto Prophetico subjacere, Væ his qui dicunt bonum malum, et malum bonum: auctor est tamen, ut in ejus auctoris descriptionibus cautus incedat, approbatis melioribus, sequioribus rejectis.* Elucet hinc vero satis aperte temporis nota; jam enim ex Oriente invidia nominis Origeniani Occidentem pervaserat, ibique inter variorum studia, turbas cære jam cœperat: quæ sane non alium quam 396 annum aut subsequentis initia designant.

VIII. Sed fit eadem multo etiam clarior ex Oceani, Romæ tunc degentis, mentione, quam ingerit in eadem Epistola S. Pater, et qua notatu non indigna eorum temporum memoria continetur. Succurrat igitur menti quod diximus paulo ante, fuisse Oceanum superiore proxime anno Jerosolymis, sive in Bethleemi monasterio, ubi præsens a Vigilantio, qui pariter ibi tunc agebat, hæreseos accusatus est. Post aliquod spatium temporis, eodem tamen anno ad finem properante, dum in utramque partem de Origeniana doctrina contenditur, subita Barbarorum irruptione plures Romani imperii provincias, hasque inter Palæstinam aut depopulata est, aut certe cladis proximitate perterruit. *Ecce tibi* (inquit, Sanctus Pater Epistola ad Heliodorum LX.) *anno præterito* (scilicet 395) *ex ultimis Caucasii rupibus immisi in nos, non jam Arabiæ, sed Septentrionis lupi, tantas brevi provincias percurrerunt. Quot monasteria capta? quantæ fluviorum aquæ humano cruore mutatæ sunt? Obsessa Antiochia, et urbes reliquæ, quas Halis, Cydnus, Orontes, Euphratesque præterfluunt. Tracti greges captivorum: Arabia, Phœnice, Palæstina, Ægyptus timore captivæ.* Vix dum hæc scripserat, cum ipsa sibi ob oculos Palæstina, Barbarorum coruscare gladios suisque imminere cervicibus sensit. *Hunnorum* (inquit Epist. LXXVII.) *examina*

pernicibus equis huc illucque volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complebant... Insuperati ubique aderant, et famam celeritate vincentes, non religioni, non dignitatibus, non ætati parcebant, non vagientis miserebantur infantia... Consonus inter omnes rumor, petere eos Jerosolyman, et ob nimiam auri cupiditatem ad hanc urbem percurrere... Tunc et nos compulsi sumus parere naves, esse in littore, adventum hostium præcavere, et sævientibus ventis, magis Barbaros metuere, quam naufragium: non tam propriæ salutis, quam Virginitatis castimoniam providentes. Erat illo tempore quædam apud nos dissensio (de Origenis scilicet doctrina cum Joanne Jerosolymitano, Rufino aique aliis Origenistis concertatio, et Barbarorum pugnam domestica bella superabant. His rerum angustiis et bellorum terrore percussus Oceanus, qui cum Sancta Fabiola Jerosolyman venerat (voluissentque in Sanctis locis reliquum vitæ degere) despondit animum, atque una cum sancta femina in patriam, Romam videlicet, reversus est. Nos (subdit Hieronymus) in Oriente tenuerunt jam fixæ sedes, et inveteratum sanctorum Locorum desiderium: illa (Fabiola, ejusque itineris comes perpetuus Oceanus) quæ tota in sarcinis erat, et in omni urbe peregrina, reversa est ad patriam. Trahebatur jam itaque annus 396, et valde etiam processerat, ut ex consequentibus planum fiet. Joannes enim Jerosolymitanus jam dudum suam illam adversus Hieronymum Apologiam, ut in alias plerasque orbis partes, ita et Romam miserat, ubi et plurimorum animos jam commoverat. Alia ex parte restiterat jam strenue Oceanus turbis, quas scriptura illa in Urbe pepererat, eorumque insipientia occurreret, qui se patiebantur Origenistarum artibus decipi. Atque hæc quidem omnia S. Pater cum Tranquillino respondit, ab ipso primum narrante didicisse se indicat: quæ haud sane levis est ab Oceani regressu in patriam, temporis intermedii nota. Quod, inquit, dicis, Origenis multos errore deceptos, et sanctum filium meum Oceanum illorum insania repugnare, et doleo simul et gaudeo: dum aut supplantati sunt simplices, aut ab erudito viro errantibus subvenitur.

IX. Per idem tempus sive anno fere medio 397 scripsit Hieronymus ad Principiam in Psalmum XLIV. et aliquanto post ad Paminachium quoque de morte Paulinæ: quarum Epistolarum cum satis abunde sit explorata epocha in chronologicis ad eas Notis, non est cur iisdem edisserendis diutius immeremur. Sed et Augustini ad Hieronymum litteræ huc temporis referendæ sunt, quibus ei gratiam habet, quod pro subscripta salutatione plenam Epistolam sibi reddidisset. Hæc autem jamdiu olim intercidit, nec supra quam conjectura colligere licet, eruditi existimant, in ea Hieronymum de Origene ejusque erroribus capta occasione fuisse loquutum, et Hipponensem Episcopum pietate jam tum florentem atque eruditione, quicum sibi notitia aliqua intercesserat, monere voluisse, ut ab serpentis in dies magis huc Origenismi caveret. Eumvero istæ Augustini Responsio (quæ ejus secundæ sunt ad Nostrum litteræ) de Origene præ-

sertim loquitur, cujus tamen errores sibi parum notos postulat indicari. Illud, inquit, de prudentia doctrinaque tua desiderabam, et adhuc desidero, ut nota nobis facias ea ipsa ejus (Origenis) errata, quibus a fide veritatis ille vir tantus recessisse convincitur. Quanquam vero data ea fuerit hocmet anno Epistola, reddita tamen est multo serius, et post saltem anni intermedii spatium. Denique S. Pater ad Castrucium, Pannonium hominem, scripsit, cujus sane fuit admirabilis adversus eum amor ac studium; nam licet oculis laboraret, ejus invisendi cupiditate, iter in Palestinam instituerat, ac venerat usque Cissam, nihil veritus Adriatici Maris æstus, et Ægæi atque Ionii subire discrimina, ut nisi eum pius fratrum retinuisset affectus, voluntatem opere compleret. Acceperat autem hæc Hieronymus de illius erga se prolixissima voluntate ab Heraclio Diacono, quem Amabilis quidam, ejusdem regionis, sive Pannoniæ Episcopus, Bethleem miserat, ut explicationem decem Isaia visionum, quam alias sæpe a S. Doctore flagitaverat, præsens ille impetraret. Quod quidem cum obtinuisset, Epistolam quoque S. Patris Castrucio deferendam accepit: ex quo intelligas utramque ad unum idemque tempus descriptionem pertinere.

X. Altera autem isthæc in decem Isaia visiones tum chronica nota insignior, tum elucubrationis genere multo est nobilissima. Quamquam se ait S. Pater, pro angustia illius temporis, quid sibi videretur in singulis, brevi sermone peratrinxisse: reque ipsa historiam tantum, quod Amabilis petebat, edisseruerit. Postmodum tamen, cum in totum Prophetam Commentarios scriberet, atque eo loci pervenisset, superfluum ratus aut eadem rursus iterare, aut in uno opere diversas sententias ponere, quintum in Isaiam Librum ex hoc fecit, qui quondam solus editus est. Verba sunt Hieronymi in Præfatione ejus Libri ad Eustochium, cujus vestigia accurate persequimur. In priore autem Præfatione ad Amabilem, Hucusque, inquit, per litteras flagitabas, ut tibi decem visiones, quæ in Isaiâ obscurissimæ sunt, historica expositione dissererem... neque retractantem, et molestissimum explanationis genus in tempus aliud differentem, sæpissime commonebas. Hoc autem anno misisti filium nostrum Heraclium Diaconum, qui me manu conserta in jus vocaret, et promissum per momenta exigeret. Et sub finem, Si latius, ait, nitar exponere, multis libris opus erit, et exactoris mei navigatio in annum alterum differetur. Itaque ut vis, singulis testimoniis breves sententias coaptabo, ut non tam exponam quid sentiam, quam paucis verbis tibi sentienda dimittam. Dictamus hæc, non scribimus: currente Notariorum manu, currit oratio. Temporibus autem notationem quod spectat, non videtur ambigendi locus, quin sit anno 397 adtribuenda, quo primum Heraclius e Palestina regressus est in Pannoniam. Nam cum iterum ex hac regione in Orientem contendit, Vitalis Presbyteri litteras ad Hieronymum detulit, quibus iste respondens, Isaia Prophetam memora, quam inter decem visiones nuper interpretatum se dicit. Agebatur vero tunc annus 398, ut mox suo loco certis argu-

mentis ostendemus, et præcipue ex alia ejus utique anni Epistola ad Lucinium compertum est, ubi eadem usus illa temporis notatione, *Nuper*, se ait S. Pater, *visiones Isaïæ valde obscurissimas historica explanatione disserruisse*. Igitur præcedenti proxime anno edisseruit, ut et illam, de qua diximus paulo ante, Epistolam, ad Castrucium dedit.

CAPUT XXIX.

I. *Ruffinus in Occidentem reversurus cum Hieronymo in templo Anastasis ex inimicitia redit in gratiam.* II. *Annus, quo id contigit, novis argumentis adstruitur.* III. *Num hoc tempore, et Ruffini Melaniæque cum primis opera extinctum penitus schisma Jerosolymitanum, sartaque pax sit inter Joannem quoque et Monachos reliquos?* IV. *Argumentis pro asserentium parte respondetur, aliaque afferuntur quæ id negant.* V. *Quædam obiter de Palladio.* VI. *Interea S. Pater in adversam valetudinem incidit, et febri per tres menses laborat.* VII. *Scribit nihilominus quædam quæ recensentur.* VIII. *In his Commentarios in Matthæum.* IX. *Et contra Joannem ad Pammachium, et ad Theophilum.* X. *Tempus scripturum istarum asseritur, et vindicatur.* XI. *Demum instaurata inter omnes pace, scribit ad Fabiolam de Veste Sacerdotali.*

I. Postactam tot annos in Oriente vitam, Ruffinus, sive turbarum, quæ Jerosolymitanam Ecclesiam exagitabant, pertæsus : sive, quod propius ad verum est, ut Melaniæ, iter Romam aliis de causis meditantis, obsequeretur, et lateri comes adhæreret, in Occidentem remeare ad patrias sedes constituit. Antequam vero se itineri daret, suarum esse partium duxit, sollicitare ad pacem concordiamque Hieronymi animum, ut ne offensum ac dubium de sua fide horum, nova injuria cumularet, privatumque inimicum, a quo sibi valde metueret, in Palæstina relinqueret. More itaque solemniter in *Anastasi*, post Missæ sacrificium, junxit cum Hieronymo dexteram, atque animis utrinque ad pacem compositis, ex inimicitia redit in gratiam. Sunt qui putant in hac pace errores Origenis silentio damnatos : alii Ruffinum nullius erroris compertum fuisse dicunt ; se enim ille magnifice jactat lib. II. *Invectivarum, Nunquam ego sequutus sum errantem aut alium quempiam, nisi Ecclesiam Catholicam sequar. Numquid mea aliquid proferre potes scripta, in quibus me vel in juventute errasse convineas?* Sincere Hieronymus ac bona fide, *In Anastasi*, inquit, *immolato Agno, dexteram junximus : et paulo ante, Pacem dedimus, non hæresim suscepimus : junximus dexteram, abeuntes prosecuti sumus, ut a privata dumtaxat similitudine tunc se animos recollegisse, indicet. Cæterum quod Anastasim nominat, locum in quo ad concordiam coaluerunt, Templum Dominicæ Resurrectionis significat, a Constantino Magno olim constructum, et Christi Resurgentis memoriæ dedicatum. Duo quippe Jerosolymæ templa sive basilicas magnus ille Imperator extruxit, quorum alterum in loco *Passionis*, quod et *Cruz et Martyrium*, appellabatur, alterum in *Resurrectionis* loco, cui proprium *Anastasi**

ex Græco idiomate nomen fuit. Pæccatum itaque a Benedictino Editore satis supine, qui *Anastasi* in laudato Hieronymi textu pro *Anastasi* Legit : quæ nos vocem restituit. Alibi S. Pater libro contra Joannem, *Nonne*, inquit, *cum de Anastasi pergeretis ad Crucem etc.* ubi et Græcis literis *Ἀναστάσι* edidices nonnulli præferunt. Sed hæc hæc tenent.

II. Annus, quo hæc contigerunt, seu quo Ruffinus in Occidentem navigavit, quin hic ipse fuerit 397 ad quem demum per rerum Hieronymianarum narrationem devenimus, minime inter eruditos oblitur. Id ipse etiam nuperus Vitæ Ruffiniane scriptor Fontanus pro certo habet, in eamque rem multa ex Antiquis testimonia congerit, et Paulini Nolani cum primis, cujus etiam Epistolarum ac Natalium ordinem et Chronologiam religere ex hac præconcepta opinione audei. Pace tamen doctorum hominum dixerim, videntur hi nobis hallucinari, partim quod minus accurate expendierint, qua proprie anni parte dederit Ruffinus se viæ, partim etiam quod hæc cum aliis ex Hieronymo testimoniis comparare neglexerint. Pendent enim multa cum Hieronymianæ Vitæ, tum historiæ eorum temporum, et Origenianæ cum primis causæ momenta ex rectè consignata Ruffini discessus epocha : quæ causa est, cur his tantisper immorari nos deceat. Primum itaque ex Palladio, qui Melaniæ iter, quacum erat Ruffinus, describit in *Historia Lausiacâ*, compertum certumque est, eos percito cursu fuisse ex Oriente in Italiam transvectos. *Navem*, inquit cap. CXVIII. *ascendit, et Cæsarea navigans, viginti dierum spatio Romam venit.* Comperta deinde est ex Paulino, cum illi terrestri itinere Romam versus, Nolam in Campania advenerunt, quæ anni tempestas agebatur. Initium nempe veris. Cum enim Epistola XXIX. ad Sulpitium Severum dicat, Victorem monachum ejusdem Severi tabellarium, Nolam iis diebus advenisse ; quibus Melania quoque advenerat e Palæstina, in præcedenti ad eundem scribit, illum abs se Nolæ susceptum *decedente jam HIEME*. Igitur sub hiemis finem, quibus verbis Februarii exitus, potius quam Martii exordia significantur, ut Victor ille, de quo Paulinus id refert, ita et Melania cum Ruffino sito Nolam, ad familiæ suæ cognatos diverterat. Placet audire Paulini iterum. *Reliqua*, inquit, *...as (Melaniæ) negotia ac tempora transibo, et hoc ipsum, quo remeantem navigavit, ut cursum ejus æmuler, transfretabo, quo citius sermonem meum in ejus Adventu exponendo determinem : in quo magnæ Dei gratiæ spectator fui. Neapolim urbem brevi spatio a Nolam, qua degimus, civitatibus distinctam, advecta est, ubi filiorum nepotumque occursum excepit, mox Nolam ad humilitatis nostræ hospitium festinavit. Porro autem si hieme decedente (Epist. XXIX.) Nolam venerunt, et ante viginti dies navim in Cæsareæ portu conscenderant, par utique est credere, cum pridem Jerosolyma discederent terrestri itinere, imo et antequam discederent, cum pacem abs Hieronymo impetrarunt, annum vix tum cepisse. Sentia autem, nisi his fallor rationibus subducendis, eum*

397, ut volent, ejus heinpe primus adhuc mensis Januarius ageretur, credi nequaquam posse. Multa enimvero sunt scripta Hieronymi et gesta, quae huicmet anno non ineanti tantum, sed et satis adulto, nemine jam dissentiente; tribuuntur, quae tamen pacem cum Rufino praecessisse, certo certius liquet. Ejusmodi sunt quae superiori proxime capite recensimus; et Epistola cum primis illa S. Patris ad Theophilum; ubi *Sanctis* displicere ait quod *super nefaria haeresi multam patientiam gereret* (Ep. LXIII). Series quoque rerum Hieronymianarum ab adornatis in Jonam Commentariis; quos intra praecedentis proximo anni fines conjicere vix potuimus, ad haec usque tempora, haud sane potest paucissimorum, qui intercedunt mensuram spatium comprehendendi.

Sed jam suis proprie argumentis opinionem illam confutemus, et qui ab ea stant, haud satis constare sibi, ostendamus. Librum S. Patris ad Pammachium contra Joannem Jerosolymitanum fuisse hoc anno 397 conscriptum autumant: Quin imo id magno conatu agunt, et ut vere quod res est, dicam, per vim atque involuntum huc eum cogunt, qui post ferme biennium scriptum se prodit. Fuerit tamen, ut volunt, hoc anno scriptus; quando neque alius ipsi repeti posse ullo modo; sentiunt, neque ut hypothesi suae inserviant, epocha vetustiore opus habent. Hoc ego ipsum evincere aib palamque ostendere, nondum illo anno Rufinum ex Oriente in Italiam trajecisse. Enimvero si advenit ille *decedente hieme*, liber circa autumnum exaratus omnino est: et siquidem uno eodemque anno 397; cum illius adventus, tum ejus elucubratio contigit, haec tamen illo posterior dimidio ferme anno est; quantum scilicet ab hiemis fine ad finem aestatis; sive autumnal exordium intercedit. Dabo rei testem ipsummet sanctum Patrem, qui sub ejus finem libri; scribere eum se post paucos menses a Pentecoste, puta Augusto aut septembri mense; significat. *Nos*, inquit; *ante paucos menses circa dies Pentecostes, cum obcurato sole, omnis mundus sanjanique venturum judicem formidaret; quadraginta diversae aetatis et sexus Presbyteris suis obtulimus baptizandos*. Atqui omnino praecedere Rufinidissessum in eorum hypothesi debet, idque est eorum disputationis praecipuum, tum aliis de causis; eum praesertim, ut quo tempore ille in Occidentem remeavit, sublatum jam penitus dicant schisma Jerosolymitanum, sartamque inter omnes gratiam. Igitur post eum Librum, qui scribi ante annum 397 omnino non potuit; Rufinus advenit: advenit adeo subsequenteris anni 398 initio.

Haec ex illorum, quae contra se pugnant, rationibus. Caeterum hocce demum altero anno Melaniam cumque ea Rufinum in Occidentem navigasse, pleraque alia Veterum testimonia sunt; quae facile persuadeant. Palladius cap. CXVIII Melaniam affirmat post annos *viginti septem*, ex quo ex Urbe se in Aegyptum contulerat, patriam repetisse: qui nimirum temporis tractus ab ipso, inclusive, ut aiunt, anno 372 quo transvecta eo est, in 398 terminatur: Certum est enim a Palladio hunc una supputari, tametsi duntaxat in-

choatum, maxime cum *unum et alterum mensem* primae navigationi impensum, *ingruente jam hieme* praecedentis anni 371, puta a novembre mense, eo numero comprehendisse, perquam sit verosimile. Adeo cum Paulinus rotundo usus numero reducent Melaniam dixit *post quinque lustra*, perspicuum est ex ipso computandi modo, minus eum fuisse accurate, ut fieri in his amat, locutum: unde intelligi ad Palladii summam, atque explicari eum oporteat. Fontaninus tamen praepostero studio ad Paulini rationes redigere Palladium jubet: Qua in re falli eum et fallere, ut praconceptae opinioni suae inserviat, nemo non videt. Quippe alias Paulinus ipsemet hocce anno 398 non praecedenti, ut interpretantur, Rufinum advenisse notat. In fine Epistolae dudum laudatae se ait, Vitam S. Martini, olim a Sulpitio Severo adornatam, Melaniae hospiti tunc suae recitavisse, quemadmodum recitaverat illam antea *Venerabili Episcopo atque doctissimo Nicetae, qui ex Dacia Romanis admirandus advenerat* (Epist. XXIX). Advenerat hic autem hieme: adfuit enim die 14 Januarii, quo sancti Felicis festo solitum *quotannis* Natale carmen Paulinus cecinit. Quorum quidem Natalium, ut est erudite notatum Baronio, atque ab ipso S. auctore colligitur, quintum illud erat, cui primum Nicetas interfuit: atque adeo anni erat 398, utpote a priore quintum: siquidem ab anno 394, ut certis argumentis Chiffletius et Paginus evincunt, condita caepa illa sunt. Hujus igitur initio anni post Nicetam, Melania cum Rufino suo Nolae accesserunt: atque haec verior eorum ex Oriente ad Patrias sedes regressus est epocha. Cur haec nos latius persecuti sumus, quae praeter rem esse, prima statim fronte videbantur, ex consequentibus intelligimus.

III. Persuasum vulgo eruditorum est, compositis Hieronymum inter ac Rufinum animis, dataque invicem atque accepta salute, sublatum eo ipso fuisse, atque extinctum schisma Jerosolymitanum, sartamque gratiam inter omnes, Monachos inquam reliquos et Joannem. Cujus quidem rei sane luculentum proferunt testimonium ex Palladio in Lausiaca ex antiqua versione Heraclidis cap. CXVIII ubi de Rufino et Melania loquens, conciliatam eorum opera pacem inter omnes praedicat. *Illos*, inquit, *etiam quadringentos numero monachos, qui propter Paulinum se ad Ecclesia separabant, sanctae rursus Ecclesiae reddiderunt*. Nec sane diffitendum, quin pro *Paulino* legendum ibi sit *Paulinianum*, quemadmodum Vastelius olim admonuit, Hieronymi scilicet fratrem, cujus ordinationem ab Epiphania factam Joannes abrumpenda communionis causam praeterebat. Congruit et numerus Monachorum, quem sane ingentem fuisse, cum perstarent adhuc in schismate, significat sanctus iste Pater Libro contra Joannem his verbis: *Tantum fratrum multitudinem, et Monachorum choros, qui tibi in Palaestina non communicant*. Alia ex parte par credenda est, eos, sicuti Hieronymum auctorem habuerunt cum secessionem a Joanne facerent: ita ejus exemplum, siquidem in concordiam ipse se primum resti-

trerat, statim secutos. Itaque aiunt post triennale denique spatium sublatum schisma Jerosolymitanum quod solum caelitus tolli posse videbatur.

IV. Contrarium nobis scriptionum rerumque Hieronymianarum series persuadet, et nedum ad Ruffini usque discessum e Palaestina (atque eum quidem 398 anno, non superiore proxime, ut illi sentiunt) sed et per aliquod adhuc temporis spatium, puta unius ferme anni, abstinuisse S. Doctorem, cumque eo Monachos Bethleemitas ab Joannis communione, existimamus. Non quod vere ineundae pacis parum Noster esset sollicitus, sed quod orthodoxa fides causa cadere videretur, si cum his qui haereseos suspicione laborabant, facile communicaret. Denique instauratam ex integro concordiam, non Ruffini quidem aut Melaniae, sed quemadmodum visum est etiam Baronio, Theophili opera, qui novo se studio interposuit, et quod pridem Isidori culpa non potuit, merito suo demum et gratia obtinuit. Constabit sententia hujus veritas evidenti propemodum argumento paulo post, ubi subsequenti anno 399, aut certe quidem isto, in quo versamur, ad finem properante, quaedam ostendemus fuisse a S. Doctore contra Joannem scripta, atque ea quidem acriore quam alias stylo atque offenso magis animo, quae profecto scribi, percussa jam pace potuisse, nemo sibi in animum inducat. Epistolam, inquam, ad Theophilum in recensione nostra LXXXII, et proprie librum hoc titulo ad Pammachium *Contra Joannem Jerosolymitanum*: quae cum eviderimus post Ruffini discessum edita, illud etiam quod urgemus, plane constabit, non eodem atque ille tempore, Joannem ad concordiam gratiamque cum Hieronymo ac sociis suis reddisse. Eo itaque loci referenda pars isthac disputationis est, sive quae de illarum scriptionum epocha argumenta contexamus, huc revocanda.

V. Quanquam ex his etiam quae dicta sunt hactenus, ferre hac de re iudicium congrue jam licet. Nequae enim aut Ruffinus aut Hieronymus cum mutuam pacem illam commemorant, sive exprobrant sibi invicem, plus aliquid dicunt, quam quod privatae simultati significet finem impositum. Imo aperte, et conceptis, ut aiunt, verbis, S. Pater, *Pacem, inquit, dedimus, non haeresim suscepimus. Junximus dexteras, abeuntes prosecuti sumus, ut vos essetis Catholici, non ut nos essemus haeretici*: quibus tantum abest, ut reditam inter omnes pacem, ut vix aliud quam Christianae inter duos urbanitatis, restitutae dudum officia amicitiae notet. Palladii testimonium quod spectat, haud equidem scio quanti illud hac in re sit. Nihil eerte veriti sunt doctissimi viri, quorum agmen Baronius ducit, ejus, utpote Rufino ac Melaniae, quibuscum aliquando vixit, amicissimi, eorumque addictissimi partibus, auctoritatem imminuere. Nec ignoramus, falsos tamen in hoc eos esse, quod hinc Historiae Lausiaca auctorem, primo Helenopolitanum, ut ferunt, in Bithynia, deinde Asponensem in prima Galatia, Episcopum prolatissimum, cum cognomine alio Palladio Galata confuderunt, quem *servilis nequitiae*

hominem (*Prolog. Dial. cont. Pelag.*), et Pelagianae haereseos instauratorem Hieronymus vocat, et Epiphanius indigere ait, *miser cordia Dei, quia Origenis haeresim praedicat et docet* (*Epist. inter Hier. LI.*). Ut autem hinc illi fidei derogandae nulla sit causa, maxima est tamen, quod nimium se Ruffini ac Melaniae studiosum prodit, totisque est in hujus laudibus praedicandis, in cujus etiam domo, cum Romae diversa retur, omni officiorum genere cumulatum se, indeque profisciscentem liberalissime adjectum testatur. E contrario iniquior in Hieronymum fuit, cumque Bethleemi ageret toto anno 388, obloquenti contra S. Doctorem Possidonio solitario aures accommodavit (*cap. XXI.*), eique summa omnia praeter Hieronymo tribuit: quae minime ipse capitibus LXXXVII. et CXXII. Historiae suae diffusetur. Praeterea fortassis posse etiam eo sensu verba ejus explicari, ut exemplo quidem Melaniae ac Ruffini, quae secuta postmodum est Monachorum reconciliationem, non praesenti eorum operae attribui velit.

VI. Abstinebat itaque adhuc Hieronymus, ejusque socii Bethleemita ab Joannis Communione, cumque duriore fortuna illa, quam diximus paulo ante, conflictabantur, cum hoc ipso anno 398 novus laborum cumulus accessit, et adversa S. ipsum Patrem valetudo invasit. Corripuit eum primo febris vel ab exeunte superiore proxime Decembri, vel certe quidem primis statim hujusce anni diebus per subsecutos tres menses, initio quidem toleranda, deinde ingravescens in dies magis, ut tenue ejusque fractumque laboribus corpusculum lecto adegerit, et miserum in modum depopulata sit. Tandem melius ei fuit, et in diebus Quadragesimae assurgere ex morbo coepit et recreari. *Ego, inquit Epist. LXXI. ad Lucinium, longo tentus incommodo, vix in diebus Quadragesimae, quibus Notarii proficisciebantur, respirare coepi.* Et in Prologo Commentariorum in Matthaeum ad Eusebium, *Imminente, inquit, jam Pascha dictare me cogis, cum scias me ita tribus mensibus languisse, ut vix nunc ingredi incipiam.* Tum Epistola LXXIII. ad Evangelum, *Ego post longam aegrotationem, vix in Quadragesimae diebus febri carere potui, et cum alteri me operi praepararem, paucos dies qui supererant, in Matthaei expositione consumpsi, tantaque aviditate studia ommissa repetivi, ut quod exercitationi linguae profuit, nocuerit corporis valetudini.* Hinc statim in febrim, et languorem, ex quo nondum bene convaluerat, relapsus, tenaci morbo ad anni fere finem continenter laboravit. Quo tempore ad Ruffinum Romanum Presbyterum (alium utique ab Aquileiensi) rescribens Epist. LXXIV. eum ipsum mensum, sive paucos dies Quadragesimae, quibus res rare tantillum coeperat, cum his computat, quibus est continenter cum adversa valetudine conflictatus. *Nos, inquit, et haec ipsa in lectulo decumbentes, longaque aegrotatione confecti, vix Notario celeriter scribenda dictavimus.* Et paulo post, *Ora pro nobis a Domino sospitatem, ut post duodecim menses, quibus jugi languore confectus sum, possim aliquid dignum vestrae scribere voluntati: et ignosce, si scitens oratio cursu non solito fluat.* Nihilosecius a scribendo penitus abstinuisse il-

lum, ne pntes. Imo vero quoties licuisset per februum intervalla, aut scribere sua ipse manu, aut notariis dictare aliquid, nunquam prætermisit. Tot sane hoc ipso anno, quo fere continenter languit, et lectulo tentus est, habemus ab eo scripta, quanta hodie vix aliquis nostrum, qui litteris operam damus, integris viribus, et secunda valetudine, fortasse adornaret. Epistolæ ex his supersunt in nostra recensione LX. III. ad LXXV. quarum unaquæque non inter amicos officia, sed de rebus gravissimis Tractatus continent. Prima cuidam Magno, cujus et Sidonius videtur meminisse, Rhetori Romano respondet, quærenti, cur in opusculis suis S. Pater sæcularium litterarum testimoniis uteretur (*Lib. V. Epist. X*): redditque facti rationem, et quatenus id liceat, et quorum exemplo id faciat. Noverat autem satis bene, cujus ille suburbanus insurratationibus quæstionem sibi proposuisset. Ruffini scilicet, quem ibi, ut vero ejus nomini parcat, propter amorem historiarum Sallustii Calpurnium cognomento Lanarium vocat. Et libro I. contra eundem, Nimirum, inquit, iste est Calpurnius Sallustianus, qui nobis per Magnum Oratorem non magnam moverat quæstionem. Advenerat jam itaque Romam Ruffinus, et creare nomini Hieronymiano invidiam satagebat. Altera est ad Lucinium Bæticum, quem, ut in proposito castitatis, adsentiente uxore ejus Theodora, perstet, hortatur, et, quemadmodum proposuerat, cito adnaviget Jerosolymam. Tum de jejuniis, de Eucharistiæ sumptione, deque Ecclesiasticis traditionibus disputat. Mentio, quam ægrotationis suæ facit, ex qua tum demum convalescere tantisper cœpisset, de anno hoc scilicet, cui Epistolam adtribuimus, dubitare non sinit. Accedit tamen alia eaque insignior temporis nota, ubi *decem Isaïæ visiones valde obscurissimas*, quas dono ad Lucinium mittit, se ait nuper historica explanatione disseruisse. Nos quid illud nuper valeat, superius ostendimus. Idem character est subsequenti ad Vitalem Presbyterum de Salomone et Achaz qua multis docet pro certo habendum, Salomonem, et Achaz undecimæ ætatis anno filios genuisse, quamquam minime inficias eat, posse Scripturam, quæ id asseverat, alia ratione explicari. Rursum ægræ valetudinis suæ meminit in subsequenti ad Evangelium de Melchisedech, qua anonymi Auctoris librum refellit, negantem fuisse Melchisedech ex hominum genere, sed spiritum Sanctum vel Angelum. Ipse nedum hominem fuisse ostendit ex veterum maxime Christianorum sententiis, sed et Chananæum genere, ac si præstet Judæis hac in re fidem adhibere, Sem ipsum fuisse primum Noe filium. Denique et LXXIV. ad Ruffinum, quem Romanum diximus, dedit sub anni finem, quam ait se non tam lectulo decumbentem, quam longa ægrotatione, et duodecim mensium jugi languore confectum Notario dicasse. Disserit autem in ea perquam erudite de judicio Salomonis, ac jurgio duarum meretricum, quod allegorico sensu de Ecclesia ex Gentibus congregata, ac Judæorum Synagoga exponit. Hæc nos Epistolarum veluti argumenta paucis perstrinximus, ut mirari subeat, tantis de rebus hominem lectulo decumbentem disseruisse.

VII. Sed et Scripturas, quod rei caput est, luculentissimis libris in eodem illo tempore exposuit. Commentarios inquam in Matthæum, a priori trium mensium febrivix dum recreatus (cum subito ex Oriente Romam navigaturus Cremonensis Ensebius, hanc sibi veluti sitarciam dari petiisset) quatuor solidis libris, vix autem quindecim dierum spatio, imminente jam Pascha, profudit. Has notat ipse operis circumstantiæ S. Pater dudum laudatis Epistolis, ut illa ad Lucinium, *Et longo tentus incommodo, vix in diebus Quadragesimæ respirare cœpi*. Et alia ad Evangelium, *Ego post longam ægrotationem vix in Quadragesimæ diebus febrivix carere potui; et cum alteri me operi præpararem, paucos dies qui supererant, in Matthæi expositione consumpsi: tantaque aviditate studia ommissa repetivi, ut quod exercitationi linguæ profuit, nocuerit corporis valetudini*. Omnium autem luculentissime neorundem Commentariorum Prologo: *Satis, inquit, miror, Eusebi dilectissime, cur Romam subito navigaturus hanc tibi a me quasi sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens, etc.... Si meminisses responsionis meæ, numquam in paucis diebus rem annorum peteres*. Et paulo post; *At tu in duabus hebdomadibus, imminente jam Pascha, et spirantibus ventis, dictare me cogis: ut quando Notarii excipiunt, quando scribantur schedulæ, quando emendentur, quo spatio digerantur ad purum, minime attendas: maxime cum scias me ita tribus mensibus languisse, ut vix nunc ingredi incipiam, nec possim laboris magnitudinem brevitate temporis compensare*. Porro autem Pascha eo anno Aprilis decima octava die contigit; nec sane est præter verisimilitudinem, et Sanctum Patrem sub præcedentis Martii exitum dictare cœpisse hoc operis, et Eusebium alia ex parte, non nisi post exactos Paschatis dies, quod est Maio ineunte, navigationi se commisisse. Intererat hanc temporis notam sedulo animadvertere: siquidem negotium facessit, ut postmodum explicabimus, quod videtur S. Doctor asserere, post annum a Ruffini profectioe, trajecisse Eusebium in Occidentem.

VIII. Jam vero quod ait, alteri se operi antea præparasse, quam in Matthæum scriberet, locum divinationibus facit, quid isthuc tandem operis fuerit. Nobis nihil ad verum, aut certe veri similitudinem propius videtur, quam Librum innui ad Pammachium contra Joannem Jerosolymitanum, cujus Apologia illa quaquaversum missa, multorum jam animos in diversa distraxerat, ut pati diutius non posset S. Pater. veram ac genuinam contentionis causam explodi, falsam autem ab eo iracundiæ suæ prætendi. At enim invidiæ plenum opus hoc erat, stylum in Episcopum suum acuere: adeo S. Pater de industria scriptionis ejus argumentum reticuit. Ad hæc non videtur summa illi ab Auctore manus imposita: atque hoc etiam in rem nostram cedit; primo enim ille est scribendis in Matthæum Commentariis interpellatus, dein febrivix recidiva oppressus, intereadum Librum premere morbo cogitur, Theophili studio tandem instaurata inter omnes pax est. Denique Ruffinum Tractatus hic

latuit, in quem certe ferri toto irarum æstu non desistisset in Invektivarum libris. Nimirum neque cum elucubratus est, agebat ipse adhuc in Palæstina, sed Romæ, neque ad ejus devenire manus potuit, quippe qui nec ab auctore perfectus, nequè ab eo in vulgus est editus. Hæc autem nos omnia in ea qua sumus mente confirmant eo magis, fidemque opinioni accrescunt, non alio, quam quo diximus anno, hoc scilicet 398, elucubratum videri, in quem unum perquam commode adjuncta rei omnia conveniunt. Ejusdem porro atque ille (nemine jam dissentiente) anni est ut et argumenti S. Doctoris Epistola ad Theophilum LXXXII. quam aut præferre illi ordine mavis, aut postponere, per nos licet, tantum ne longo, atque ultra anni ejus terminos, intervallo separet. Illus itaque est novis adhuc argumentis epocha comprobanda, ex qua tanta rerum Hieronymianarum memoria, et certus, ut notatum superius est, schismatis Jerosolymitani finis innotescit.

IX. Ipso statim exordio Libri se ait S. Pater, ut ne possit vel impatientiæ, vel temeritatis reprehendi, hæc demum contra Joannem *post triennium loqui*. Paria habet infra num XIV. ubi de Epiphano, quem Joannes multis offenderat, *ille*, inquit, *per totum exinde triennium, suas injurias devorat, privataque simultate contempta, fidei tantum correctionem postulat*. Quibus notat ipse, initium ejus triennii unde ducat, ab anno scilicet 395, post Pauliniani consecrationem, postque datas ab Epiphano ad Joannem litteras. Ab eo enim tempore lacessitum tum palam se ab Epiphano Jerosolymitanus Antistes reputans, jactare in eum maledicta, et qua voce, qua scriptis convicia ingerere, nunquam destitit: quas ille injurias, tantum de fidei correctione sollicitus, tacitus devoravit. Scio, passim eruditos a superiori proxime anno 394, quo ordinatus est Paulinianus, triennium illud ita exordiri, ut in 397 ineunte exeat. Sed pari utique ratione poterant, a præcedenti 393 sumere initium; siquidem tunc primum Joannem inter atque Epiphanium dissensio cœpit, atque ab eo jam inde est iste conviciis proscissus. Quod cum minime tamen præstent (rationes enim eorum omnes ab illa epocha everterentur) manifestum est, eos ita calculos subducere, ut hypothesi suæ inserviant. Sanctus vero Pater non aliud pro eo ac debuit, tempus manifesto denotat, quam quo in apertam similitudinem Joannes erupit, post datas ad eum ab Epiphano litteras, humanissimas quidem, et *παρρησιακάς*, quas ille tamen contumeliis, ac virulentis obrektionibus proscidit: postque diu expectatam ab eo fidei satisfactionem, ad quam præstandam cum adduci nunquam potuerit, hæresis suspicione gravissima laboravit, causamque Hieronymio et qui sub eo erant, Monachis præbuit, ut ab ejus se communionem separarent. Uno verbo, ab eo repetit Hieronymus tempore, quo schisma Jerosolymitanum conflatum est, quod anno factum 395 ex historia præscripta liquet. Præter quam quod in eo etiam splendide falluntur qui a præcedente 394, triennium hoc repetunt, quod ineunte 397, conclu-

dunt, ac porro concludere ex eorum hypothesi coacti sunt: cum liquido tamen constet; sub finem ferme anni, sive post *paucos menses* u *Pontico* conscriptum Librum: Alterum nec minoris sane ponderis argumentum ex eo sumitur; quod ait S. Pater num. XVII. abs se *ante annos ferme decem* Commentarios in Ecclesiastem elucubratos. Probatum nempe nobis est sdo loco invictis argumentis, quæ hic replicare longum esset, ad anni 388 finem Commentarios illos pertinere: cui si decem intermedios præterea addideris, ad hunc nimirum pervenies, cui Librum contendimus adscribendum. Denique palmare illud est in rem nostram, quod his qui aliter atque nos sentiunt, cruentem figit ubi hum. XLI. Joanni calumniant, *quod propriam sibi faceret principatum* S. Pater, respondet; *Si de me et de Presbytero Vincentio dictis, satis multo dormisti tempore, qui post annos tredecim, nunc excitatus hæc loqueris. Ob id enim et ego Antiochiam, et illæ Constantinopolim, urbes celeberrimas, deseruimus, non ut te in populis prædicantem laudaremus, sed ut in agris et solitudine adolescentiæ peccata desentes, Christi in nos misericordiam desisteremus*. In hac tamen, quam nos protudimus, ejus Libri chronologia docere est in promptu, ex quo *tredecim illi anni* supputantur sint, ut sibi perquam bene et rerum series, et temporis rallo constet. Econtrario torquent se misere, qui illum initio præcedentis anni adscribunt, nec tamen conciliare invicem possunt; atque eo tandem adducuntur, ut vel Hieronymum de incubia in computandis annis incusare audeant, vel ejusdem textui temere manus inferre, ac pro *tredecim* rescribi *sexdecim* volunt. Atqui S. Pater accuratissime rationes iniiit; voluitque omnino, quod res erat, supputari *tredecim* annos a 386, quo uno verissime de se illud affirmare potuit, Antiochenæ Ecclesiæ honoribus agris et solitudinem se prætulisse. Nam cum ordinatus est, hæc equidem ut solitariam vitam ageret; ab ejus se amplitudine ac servitio subduxit, sed ut libere studiorum maxime causâ peregrinaretur. Cùm vero eo anno post Damasi mortem unâ cùm Vlicentio Antiochiam reversus est, utique ut in erethum concederet, eam Ecclesiam deseruit, ad quam Ordinationis quibusque jure pertinebat, et in qua satis splendide, si libuisset; Presbyteratus frui gradu poterat: facile eliam; ut eo munere fungeretur, Paulini Episcopi, atque amicorum adhortationibus alliciebatur. Omnino igitur ab eo anno *tredecim* isto numerat, ac termino utroque ultra supputato, quod accuratissimarum rationum est, ostendit ipse manifesto, et tamquam digito notat; annum quo hæc scriberet, 388 fuisse.

X. Ejusmodi hæc sunt argumenta, quæ nisi admittamur fallimur, assensum ab invicis extorqueant. Faciendum est nihilominus, quædam posse obijci quæ negotium facessere videantur. Atque illud cum primis quod ait S. Pater hoc ipso Libro et numero dudum laudato de Pauliniano Fratre, *Vides eum Episcopo suo esse subjectum, versari Cypri; ad visitationem nostram interdum venire non ut tuum, sed ut alienum, ejus videlicet, a quo ordinatus est*. Quod quidem, si ut con-

stimulus; anno 398, scribebat; vix conciliari posse videtur, ut ne vix quidem cum alio ejusdem testimonio lib. III. contra Ruffinum, ubi calumniantium amulio, quod accusatores sui Romam submisisset, respondet, *Paulinianus et Eusebius post tantum vestra navigationis profecti sunt*. Nempe hoc ipso anno 398 ferè medio Romam navigasse Eusebium; acceptis in Matthæum Commentariis, definitum est supra: unde quod tota disputatione ista contendimus, Ruffinum hoc ipso incunte ad Urbem accessisse, constare difficile potest: minime autem, si, quod videtur affirmare S. Pater; Paulinianus una cum Eusebio navigavit. Hactenus enim id egimus, ut sub anni finem conscriptum hunc ab eo Librum ostenderemus, in quo fratrem suum dicit *versari Cypri, et ad visitationem sui interdum venire*, qui dicendus fuisset jam ante aliquot menses in Occidentem se contulisse. Huic enim vero euidem declari scopulo allisa Criticorum Ingenia sunt: quem velut tamen comode poterant, si quid istuc rei esset, penitus inspexissent. Est autem cum primis sedulo animadvertendum, diverso inter se Eusebium et Paulinianum tempore navigasse, atque illum quidem valde isto citius, quem non nisi subsequenti anno 399 remeasse discimus in Occidentem. Salva hæc animadversione res erat: ad hunc enim proprie refertur, quod sit *post annum* a Ruffini navigatione profectus Romam, tametsi alius, sive Eusebius eodem venerit post aliquot tantum menses. Occurrunt ejusmodi alia apud Hieronymum locutionis exempla, in quibus uni aut alteri è pluribus, quas simul conjungit, rei veritas perfecte convenit. Unum proferam ex I. contra eundem Ruffinum libro num. II. *Laudavi, inquit, Eusebium in Ecclesiastica historia, in Digestione temporum, in descriptione Terræ sanctæ: et hæc ipsa opuscula in Latinam vertens, meæ linguæ hominibus dedi*. Et compertum est tamen, nunquam fuisse ab illo Ecclesiasticam Eusebii Historiam Latine explicatam, sed alia duo tantum, quæ suis locis recensimus, opera, Chronicum inquam Canonem, et de Locis Scripturæ librum. Commodum est itaque intellectu accipiendus, ut hæc quidem in Latinum vertisse, illud autem, sive Historiam Ecclesiasticam laudasse duntaxat se dixerit. Haud alia in qua versamur, res est: vere enim *post annum* a Ruffino Paulinus discessit, eumque proprie notatio illa temporis spectat. Imo et verius multo in hac habet: tametsi enim Eusebius, Cremonensis scilicet, quem cum Pauliniano S. Pater conjungit, non intermedio solido anno, sed post aliquot tantum menses a Ruffino navigavit, post eum tamen ἀπὸ; navigavit, quod satis huc parti est, ut veritas sententiæ constet. Accedit quod posse videatur illud *post annum* accipi perinde atque, *anno post*: quod si probabatur, facile alia ex parte potuit Hieronymus initia Ruffinianæ professionis respexisse, quæ præcedente utique anno exeunte, puta Decembri mense contigerint: illudque de Eusebio quoque dictum constabit. Utut se res habeat, haud sane hæc sunt ejus momenti objecta, quibus moveri non deceat, ceterisque hactenus constitutæ sententiæ argumentis refragari. Redeamus ad Hieronymum.

XII. Restituta, post satisfactionem utique fidelis, ut par credere est, ex Joannis parte; sineret atque ex antro hinc inter et Hieronymum, atque allefuitius partis gregales pace, vetus obliterata penitus similitas est, atque ita reditum utrinque in gratiam, ut et familiarium deinceps se illi invicem loco habuerint Illico Ecclesiam in loco Dominicæ Nativitatis positam, a cujus dñi fuerat Ingressu prohibitus, S. Pater recepit, quam pietate loci colere in dies magis, et cordi habere non desinit. Atque hoc facile est, quod sibi Postulantus voluit apud Sulpicium in Dialogo, ubi *Ecclesiam loci illius (Bethleem) ab eo regi dixit, parochiam Episcopi qui Jerosolymam tenet (Dialog. 4)*. Neque enim aut curam animarum egisse illum, aut debita nomini suo exercere sacrificia voluisse inquam, quod est Presbyteri officio defungi, superius cap. XVIII. ostendimus. Porro nec prætermisit Hieronymus, quam præclare secum ageretur, arrepta occasione, amicus certiores facere. Scripsit enim vero hoc ipso exeunte anno, seu subsequenti 399 initio ad Fabiolam de Vestè Sacerdotali Epistolam, in qua de percussa jam pace, deque prospera qua interetur fortuna exsultans, ejus vite salutem, ut vulgo dicitur, eadem movet. *Tu quidem, ait, optato frueris otio: et juxta Babylonem (Romam) Bethleemica forsitan rura suspirans. Nos in Ephrata, tandem pace reddita, vagientem de Præsepti auditus Infantem, et querimonias ejus ac voculas ad tuas aures cupimus pervenire*. Quin ipsa hæc verba, ut Epistolam ad hæc usque tempora differremus, fuerunt argumento nobis: quamquam alias, et in chronologicis ad eam Notis, juxta receptam vulgo sententiam, eam ipsi nos præcedenti anno affixerimus. Habemus nunc pro certo, pacem quam nominat, non aliam ab hac esse, quam cum Joanne Episcopo inuit. Nam quod nonnulli putant, eam dici quæ Hunnorum irruptiones (de quibus paulo ante egimus) consequuta est, alienitatis plene à S. Doctoris mente ostendunt quæ continuo ipse de Præsepti, deque vagiente ibi infante subdit: quibus gratulari videtur ipse sibi de recepta per reconciliatam amicitias loci ejus Ecclesia, cujus pridem ingressu ipso prohibebatur. Prohibitus autem fuerat ad id usque temporis, quo Librum contra Joannem scribebat: quod desset ipse ibi, *Usque in præsentem diem, inquit, videmus tantum specum Domini; et hæreticis intrantibus, procul positi suspiramus*. Ipsa itaque ad Fabiolam Epistola post paucos menses ab eo Libro data videri debet: differri autem serius omnino non potest.

CAPUT XXX.

- I. Nova cum Ruffino contentio exoritur ob interpretatum ab eo Origenis librum Periarchon, et laudatum in Præfatione Hieronymum.
- II. Quem Pammachius et Oceanus ad respondendum Ruffino excitant.
- III. Ad hunc Noster amice conquestus ea de re scribit.
- IV. Apud illos autem luculenta Epistola se purgat: quæ cum suam libri Periarchon translationem fidem mittit.
- V. Varias item scribit varii argumenti Epistolas, quæ recensentur.
- VI. Origenem interea ejusque assecclas damnat Theophilus, eaque de re scribit ad Hierony-

num, et ad Anastasium Papam. VII. Qui damnat item excerptas ex eo libro Origenis blasphemias, datque ea super re ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum literas. VIII. Ruffinum quoque Romam ad causam dicendum accersit. IX. Qui ire detrectans, Apologiam pro se mittit. X. Scribit eodem tempore contra Hieronymum Apologiam, seu libros Invectivarum.

I. Vix dum percussa in Oriente pax fuerat, cum novus ex Occidente discordiarum turbo, eandem illam Origenianam ob causam exortus est. Macarius noti nominis Monachus Pineti in agro Romano ad maris oram, cum ab Ruffino, qui per id temporis in eodem illo Monasterio agebat, gustum aliquem Origenianorum operum jam cœpisset, ab illo etiam atque etiam flagitavit, ut libros quoque *Περὶ Ἀρχῶν*, id est, de Principiis, sive de Potestatibus (ut verti posse in Prologo dicitur) Latine sibi interpretaretur. Cujus ille studii obsecutus, priores duos libros cum procœmio transtulit, de opinione apud vulgus facturus periculum, cum aliorum subinde amicorum impulsu, reliquos duos quoque vertit. Vertit autem? imo interpolavit: et quemadmodum in priore Præfatione (duas enim apposuit) ipse profitetur cum aliquanta offendicula invenirentur in Græco, ita eliminavit omnia interpretando, atque purgavit, ut nihil in illis quod a fide nostra discrepet, Latinus Lector inveniret. Et in altera: *Illud autem, inquit, necessario commoneo, quod sicuti in prioribus libris fecimus, etiam in istis observavimus, ne ea quæ reliquis ejus sententiis et nostræ Fidei contraria videbantur, interpretarer; sed velut inserta ea ab aliis et adulterata præterirem.* Sed malum longe illud majus, quod conscientiæ suæ diffusis cum fore non dubitaret, ut ejus tametsi subdola interpretatione obductæ doctrinæ novitas multos percelleret, ausus est sibi ab Hieronymi auctoritate patrocinium petere: ejusque exemplum causæ suæ prætexuit, et laudes tota illa Præfatione persecutus est. Hinc maxima mali labe, et quarum nullus postmodum finis, discordiarum origo. Editus in lucem liber multorum quidem e Sacerdotibus et Monachis et Christianorum vulgo simplicitati illusus (*Epist. CXXV.*), plerosque tamen ita percudit, ut totum orbem post Ruffini interpretationem in Origenis odium exarsisse, et translatum opus expavisse, Hieronymus tradat. Auctor idem est (*Lib. I. cont. Ruf.*), primam Marcellam Romanam subolescentem errorem deprehendisse, cumque diu se cohibuisset, ne per æmulationem quidpiam facere videretur, postquam sensit, fidem Apostolico ore laudatum in plerisque violari (*Epist. CXXVII.*), sumpsisse sibi etiam animos ad reprimendum. Ruffinus autem, cum jam se fere ut hæreticum digito notari intelligeret, discedere instituit: et ab Siricio urbis Episcopo, qui, ut ait Hieronymus, de suo ingenio cæteros æstimabat, *Ecclesiasticas Epistolas* impetravit, ut Ecclesiæ posset communionem gloriari (*Ibid. et cont. Ruf. Lib. III.*). His communitus, per Mediolanum, qua Romana tunc fere commodior via sternebatur, Aquileiam remeavit. Annus agebatur cum interpretationem illam absolvit, 398 ultra medium: cum Roma discessit, jam ad finem properabat.

II. At Pammachius et Oceanus, Romani proceres, et Hieronymi cumprimis amicitia clarissimi, schedas Rufinianæ interpretationis, nondum quidem vulgatas, furtimque sibi porrectas, denique falsis alicubi sententiis incrustatas, ut Ruffinus quidem contendit, ad Hieronymum una cum subdola Præfatione illa transmiserunt, quædam causantes, quæ minus catholice dicta sibi viderentur, aliaque ab interprete subtracta, quæ apertam impietatem Auctoris monstrare poterant (*Lib. II. contra Hieron. et alibi*). Ruffini nomen retinuerunt, quod nec ipse operi suo adscribere ausus est. Multis autem ad reponendum illi S. Doctorem excitaverunt, petieruntque ut eosdem meliore fide libros ipse interpretaretur, et interpolata proderet, et male explicata convinceret (*Epist. LXXXIII.*). Maxime vero auctores erant, ut injectas de se suspiciones purgaret: sciretque se Præfatione illa obliquis laudibus inter Origenistas positum, atque ex sui nominis fama hæresi patrocinium quaeri.

III. Has Hieronymus schedas jam acceperat, cum ipsiusmet Ruffini ad eum literæ redditæ sunt: quæ, tametsi interciderunt, quid continerent, utcumque ex S. Patris Responso colligimus. Scilicet diutius dicebat se Romæ mansisse, quam voluisset, quod accepto de obitu matris nuntio, prohibitus luctu sit, remeare ad patriam, ne maternæ domus aspectu, dolorem, quem vix absens animo premebat, ferre præsens omnino non posset. Revocatum eo se tamen, spiritualium parentum (Chromatii atque Eusebii) desiderio: sed ab æmulis centinuo impetitur, iisque Hieronymi cum primis familiaribus, ut queri videretur, quod instigante illo, vel certe non inscio, horum odia subiisset. Contra se pacem secum illo reconciliatam sancte servare, utque ab eo pari studio observetur, expetere. Respondit Hieronymus Epistola in nostra recensione LXXXI. nullis erga illum officiis se interim defuisse: et conscientiæ, inquit, nostræ testis est Dominus, post reconciliatas amicitias nullum intercessisse raucorem, quo quempiam læderemus: quin potius cum omni cautione providimus, ne saltem casus in malevolentiam verteretur. Sed quid possumus facere, si unusquisque juste putat se facere quod facit, et videtur sibi remordere potius quam mordere? Tum illud etiam amice ac leniter expostulat, quod oblique Præfatione illa, imo aperte peteretur, ac monet, ne se in posterum simili modo laudet. Atque hæc poterat suboffensos invicem animos Epistola recolligere; sed qui eam curandam acceperant, et Roma Concordiam usque transmittendam, Hieronymi familiares, Pammachius videlicet atque Oceanus, laud scio num meliore consilio, successu certe non prospero suppresserunt. Ego, inquit Hieronymus lib. I. Apologiæ, *scripsi ad te statim brevem Epistolam, expostulans super laudibus tuis, quam quia Romæ non eras amici mei tibi mittere noluerunt, eo quod te dicerent, cum sodalibus tuis indignum nomine Christiano de mea conversatione jactitare: cujus exemplum huic volumini subdidi, ut scias quantum dolorem quanta moderatione necessitudinis temperavi.* Et lib. III. *Novum quoque me putas finxisse mendacium, ut Epistolam ad te meo nomine componerem quasi olim*

scriptam, quo bonus esse videar et modestus : quam tu nunquam omnino susceperis. Hæc res per facile probari potest. Multi Romæ ejus exemplaria habent ante hoc circiter triennium, qui tibi eam mittere noluerint, scientes quæ de meo nomine jactitares, et quam indigna homine Christiano, et quam infanda confingeres. Ego scripsi nesciens quasi ad amicum : Illi non reddiderunt ei quem inimicum noverant, parcentes et meo errori, et suæ conscientiæ.

IV. Acceperant una autem eximii illi Hieronymi familiares ab eodem, ut par credere est, litterarum portitore Ruffino, altero Syro (quem S. Pater ob quamdam causam per Romam Mediolanum miserat, et quem sane interest ab cognomine Aquileiensi distinguere) novam ab eo adornatam librorum Περὶ Ἀρχῶν versionem cum luculenta ad se proprie Epistola, qua suam ille apud eos fidem liberat, purgatque omnes de se suspiciones. Origenis ingenium quidem et eruditionem laudasse se fatetur, dogmata tenuisse, aut tenere se, pernegat. *Laudavi, inquit (Epist. 74), interpretem, non dogmatistam, ingenium, non fidem; Philosophum, non Apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire judicium, legant in Ecclesiasten Commentarios, replicent in Epistolam ad Ephesios tria volumina, et intelligent, me semper ejus dogmatibus contraxisse.* Et paulo post : *Si mihi creditis, Origenistes nunquam fui : si non creditis, nunc esse cessavi.* Et sequenti capite : *Fac me errasse in adolescentia, et Philosophorum, id est, Gentilium studiis eruditum, in principio Fidei, dogmatu ignorasse Christiana, et hoc putasse in Apostolo, quod in Pythagora et Platone et Empedocle legeram. Cur parvuli in Christo atque latentis errorem sequimini ? cur ab eo impietatem discitis, qui necdum pietatem noverat ? secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri. Imitati estis errantem, imitantini correctum.* Multa deinde in eum profert (nomen enim Ruffini continuo reticuit) qui propinare Romanis auribus doctrinæ ejus venena ausus est. *Quisquis es, inquit, assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus ? cur profers in medium quod Petrus et Paulus edere noluerunt ? Denique in eum proprie qui se figuratis laudibus in Origenianæ causæ patrocinium adsciverat ; Malo, ait, existimatione periclitari, quam fide. Hoc mihi præstiterunt amici mei (Ruffinus utique) ut si tacerem, reus : si respondero, inimicus judicem. Dura utraque conditio ; sed e duobus eligam quod levius est : similtas redintegrari potest : blasphemia veniam non meretur.*

V. Ad ipsam quod attinet interpretationem librorum Περὶ Ἀρχῶν, quam Epistolæ jungit, multum se ait in illa adornanda laboris sustinuisse, dum mutare quidpiam de Græco, non est vertentis, sed evertentis (Lib. 1. con. Ruffin.). Adornatam abs se autem eo consilio testatus est alibi, non ut crederet Lector iis quæ interpretabatur, sed ne crederet iis, quæ alius ante transtulerat. Atque hanc quidem unice causam

esse autumo, de quo mirari doctos homines aliquando subiit, cur hæc scilicet perierit Sancti Doctoris interpretatio, quæ et ad Græcum textum exacta fideliter est, et ab interprete elaborata sermonis utriusque peritissimo : contra Ruffiniana illa superstes sit, quæ et laudibus hisce caruit, et ab ipsa editione prima in lucem, convitiis bonorum pessumdata fere est, ac diris omnibus devota. Nempe illa Origenianas blasphemias, prout fuerant Auctore ab ipso prolata, eisdem sententiis ac totidem fere verbis referebat : quæ primo statim aditu aversari Christianos animos atque exhorrescere impia scripta res cogeret ; hæc vero exitiosioribus prætermisissis, reliquam sublestæ fidei doctrinam verborum fuce oblitam commendabat, non ab sui lectione ac descriptione deterrebat. Porro autem Hieronymianam versionem eamque præsertim Epistolam, suppressa illa ad Ruffinum, Romani Proceres in vulgus spargere, atque ingerere omnibus, prædicare, et Hieronymianæ fidei proferre testem. Sunt qui addant, nec sane præter verisimilitudinem, eos quæ ex eorundem votis Epistolæ deerant (maluissent enim, conceptis verbis æmulum ab eo perstringi) vivæ vocis veluti commentario supplese atque exaggerasse. Re quidem ipsa Hieronymus sibi admodum temperavit, nec Ruffinum de nomine, aut peculiari quapiam nota lacessivit. *Ego, inquit, moderatus in Epistola publica (hæc scilicet ad Pammachium et Oceanum) diligenter cavi, ne quid in te dictum putares.* Sed quæ illi omnia in Ruffinum proprie dicta referebant, quæ Sanctus Pater late in hæreticos de industria dixerat : conflictus quoque ejus interpretationis cum Ruffiniana, ut aiebant, perfidia, ita hujus acuerunt animum, ut Hieronymum jam putaret jura violasse amicitia, et pristina in se odia exercere : cui proinde instituit tanquam inimico atque arma inferenti resistere. Ita errore potius quam alterutius culpa, dirempta iterum gratia est, quæ nunquam inter eos postea coaluit ; ut etiam post obitum famæ suæ Ruffinus, cætera doctissimis sanctissimisque, quos ex tulit ætas, Patribus admodum carus, dispendium sit passus. Rediit de Hieronymiana libri Περὶ Ἀρχῶν interpretatione postmodum sermo, ubi Epistolam ad Avitum, quæ post annos circiter decem data est, recensebimus. Hæc porro cum agerentur, annus Christi trahebatur 400 uno minus.

VI. Epistolas vero intereadum multas Hieronymus ad varios scripsit, quæ in Editione nostra a LXXV, deinceps recensentur. Ac priore quidem ista Theodoram Lucinii (ad quem præcedenti anno, ut suo loco ostendimus scripserat) viduam de mariti morte consolatur, ubi et se, ait, non meruisse ejus viri videre faciem, quem in brevi tempore venturum ad se Bethleem sperabat. Ex quibus colligimus, hanc ab ea, quæ ad Lucinium data est, unius circiter anni spatio distare Epistolam, nec facile serius esse differendam. Cum enim hunc inter atque Hieronymum non nisi semel, idque superiore proxime anno, litterarum officia intercesserint, non aliis quam his utique credendus ipse est Jerosolymam adeundi spem S. Doctori fecisse :

neque hic adeo cum futurum fuisse ait, ut cum brevi in Sanctis Locis complecteretur, longius quam quod constituimus, spatium temporis designarit. Igitur statim post sancta illa vidua Theodora perfectionis viam, de qua Sanctus item Pater ad Abigaym scribens sub lineam, *Sanctam, inquit, filiam nempe Theodoram sororem beatæ memoriæ Lucini per se commendatam, meo sermone commendando, ut in cæpto itinere non lassetur*, etc. quæ annum hunc ipsum non obscure indicant. Eodem tempore, sive anni ejus sub lineam scriptas duas alias Sanctus ipsemet Auctor prodit. Priore ex his Fabiolam jam lato functam funebri quadam laudatione prosequitur: sanctissimam certe feminam, ut quæ passim superius gesta ejus recensuimus, comprobant, ut autem vocat ipse, *laudem Christianorum, miraculum Gentium, luctum pauperum, solatium Monachorum*: quæ postquam ad Christum conversa est, vere Christianam egerit vitam, gloriosumque meruerit vitæ slipem. Eam porro scribere se testatur, cum jam *quarta ætatis circulus* evolveretur ab eo tempore, quo *Nepotiani Epitaphium* scribens, *quidquid habere potuerat virium in illo tunc dolore consumpserat*. Proinde si recte istud initio anni 396 consignatum est (quod certe nobis videmur ipsi palmaribus argumentis evicisse), jam nihil est dubium, quin ætas ab eo quarta hujus nimirum anni fuerit, cujus historiam persequimur. Altera, quæ Fabiolæ ipsimet inscribitur de XLII, mansionibus in deserto, adornari quidem multo antea cum scilicet ageret ipsa Bethleemi, ab Hieronymo cœperit, editionis tamen, ut loqui ipse amat, honorem huic tempori debet: neque enim ipsi cum adriveret, sed *memoriæ ejus est reddita*. Rem præstat ab ipsa audire: *Quodam die, inquit proximo laudata Epistola, quum in manibus Moysi Numeros teneremus, et me verecunde rogaret illa (Fabiola) quid sibi vellet nominum tanta congeries, cur, etc.... respondit ut potui, et visus sum interrogationi ejus satisfacere. Revolveas ergo Librum, pervenit ad eum locum, ubi catalogus describitur omnium Mansionum, per quas de Ægypto egrediens populus, pervenit usque ad fluenta Jordanis, cumque causas quæreret et rationes singularum, in quibusdam hæsiavi, in aliis inoffensa cucurri pede, in plerisque simpliciter ignorantiam confessus sum. Tunc vero magis cœpi urgere, et quasi non mihi liceret nescire quod nescio, expostulare, ac se indignam tantis mysteriis dicere. Quid plura? Extorsit mihi negandi verecundia, ut proprium ei opus hujuscemodi disputatiunculæ pollicer: quod usque in præsens tempus, ut nunc intelligo, Domini voluntate dilatatum, reddetur memoriæ illius, ut Sacerdotalibus prioris ad se Voluminis induta vestibus per mundi hujus solitudinem gaudeat se ad terram Repromissionis aliquando venisse. Conjecimus in hoc quoque tempus quam dedit S. Pater Epistolam ad Salvinam, ex genere nobilissimo viduam, quam de Nebrii mariti sui morte consolatur, ac porro docet qua ratione superstites ex eo parvulos educare, qualemque ipsa vitæ rationem traducere oporteat. Ut autem huc referremus, argumento cum primis fuit, quod dicitur Salvinæ mater Constantino-*

poli apud filiam tunc fuisse. *Certe, inquit, quum tecum sancta sit mater, etc.* Illa enim vero non nisi post Gildonis mariti sui mortem, anno 398 Constantinopolim se contulisse credenda est. Cætera ne serius Epistola differatur, in Chronologicis ad eam Notis edisseruimus. Denique et propositis sibi a Paulino questionibus homet anno, sive ut scrius, subsequentis initio respondit: cujus certe rei totus ferme contextus Epistolæ indicio est. Sed omnium luculentissimus locus ille, ubi Responsionis suæ moras excusans Sanctus Pater, *Libros, inquit, Περὶ Ἀρχῶν nuper, Pammachio nostro jubente, interpretatus sum quo detentus opere, implere non potui quod promiseram tibi, et Daniele nostrum rursus comperendinavi. Et quidem quamvis mei amantissimi et egregii viri Pammachii, tamen unius voluntatem in tempus aliud distulisset, asserens multos periclitari, et perversis dogmatibus acquiescere. Unde necessitate compulsus sum transferre libros, in quibus nulli plus quam boni est, et hauc servare mensuram, ut nec adderem quid nec demerem, Græcæque fidem Latina integritate servarem. Quorum exemplaria a supra dicto fratre poteris mutuari, etc.*

VII. Revertamur ad contentionum Hieronymum inter ac Rufinum historiam, cujus laudatus locus iste nos monet. Cum duas in partes, ut sit, Romanorum animi abiissent, Rufino scilicet alii, alii Hieronymo faverent, quidam Aponianus Romanorum longe nobilissimus, olim Rufini et Melaniæ opera ab Idololorum cultu ad Christi fidem tractatus, sique in Christo patris studiosissimus, Versionis ut et Epistolæ Hieronymianæ apographum ad eum Aquileiam misit, utque par credere est, ad respondendum instigavit. Causa enim vero discordiarum istarum maxima, in partiarior utriusque nominis est refundenda, qui licet egregie catholici, et mente bona atque animo, dum sibi tamen offendicula pertimescunt, et partis cui nomen dederant, studio ducuntur, ejusmodi flammæ dissensionum concitarunt. *Silere, inquit Rufinus, contra conscientiam criminati, minime potuimus, cum ipsius pene Fidei suæ nonnulli jacturam ducerent silentium nostrum. Acceptis hic itaque Hieronymi scriptis, quæ in sui contumeliam dici existimabat, haudquaquam negligenda ratus, animum statim ad reponendum appulit. Sed antequam de Responsione ejus dico, alia quæ præcesserunt in Oriente, atque hanc maxime causam spectant, exponenda sunt.*

Theophilus Alexandrinus Episcopus simul atque pacem Joannem inter atque Hieronymum conciliavit, in Origenem, cui pridem impense faverat, mutato repente animo, signa convertit. Et post pauca quidem in eos quibus placitæ Origenis arridebant, facta quædam acerbiora aut dicta, eodem illo anno 399 ad exitum properante, aut si majoris initio subsequentis, diro Origenianam doctrinam ejusque assecras omnes anathemate percussit. Ejus synodi, quanquam tunc nullam contra Origenistas habitam, Pagiis aliique contendunt, meminisse visus est nobis Prosper in Ch. quæ Imperiali, ubi, *Contentio, ait, ex doctrina*

Origenis, Synodum apud Alexandriam coegit, cujus exstitit sententia, ut extra Ecclesiam feret quicumque supradicti viri opera probavisset. Mox dedit ille ad Papam Anastasium, qui Siricio successerat in Romana Cathedra, Epistolam, qua Origenem subjectis sibi populis hæreticum denunciavisse, significabat, utque ipse etiã in Occidentali Ecclesia damnaret, ejusque loquutioni Operum interdiceret, auctor erat. Dedit etiam ejusmodi ad Hieronymum litteras, quibus nequam et furiosos homines hæresim Origenis in monasteriis Nitriæ fundere cupientes Prophetica falce succisos nuntiat : hortaturque, ut si qui alii decepti sunt, ipse congruis Scripturarum sermonibus emendet. Hæc ipse litteras Latine interpretatus est S. Pater, quæ numerum obliant in reconensione nostra LXXXVII. quibus et Responsum iis quæ subsequuntur, faciens, postquam zelum ejus eximiiis laudibus extulisset, Equidem, subdit, super hæc (Origeniana scilicet causa) et antequam scriberes, ad Occidentem Epistolas miseram (illam utique ad Pammachium et Oceanum) ex parte hæreticorum atrocitas mea lingua hominibus indicans. Ex dispensatione Dei factum puto, ut eodem tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes, et nostram dum ignoras, sententiam roborares. Verum a temere admoniti, magis studium accomodabimus, ut hic et procul simplices ob errore revocemus. Sub finem subdit, Vincentius Presbyter, ante biduum, quam hanc Epistolam darem, de Urbe venit, et suppliciter te salutatur, crebroque sermone concelebrat, Romanam et totam pene Italiam tuis post Christum Epistolis liberatam. Jam itaque multum intercesserat temporis ab illa quam ad Romanum Alexandrinus Pontifex dederat : ut cum tamen hæc quoque sit Hieronymi Responsio intra ejusdem 400 anni terminos comprehendenda, illa quidem hieme, hæc vero adventante saltem æstate sit scripta. Quid igitur intereatum ab Anastasio præstitum sit, videamus.

VIII. Acceptis Theophili litteris, oblata sunt illi etiã ab Eusebio Cremonensi, vetere illo Hieronymi amico, quædam capitula blasphemiarum, quæ ipse ex Ruffiniana librorum *Περί Αρχών* interpretatione, ad creandum magis magisque Origeniana doctrinæ odium, excerpserat. Tum vero suarum partium esse intellexit Anastasius statim noxium percipere caput, et sibilantia hydræ ora compescere. Coacta itaque, ut par credere est, Romæ synodo (binos enim, ut S. Leo Magnus testatur, in annis singulis, vere scilicet atque autumnò celebrari Episcoporum conventus [Epist. I V. cap. 7], ex antiquiorum præceptis Patrum mos erat) et re in utraque partem mature perpensa, Origenis erroribus hæreseos notam impressit. Passim de ista in Origenem lata atque ex Synodo quidem sententia, occurrunt apud Veteres et præcipue Hieronymum testimonia. Quamquam, inquit Epist. XCVII ad Pammachium et Marcellam, celebri sermone vulgatum sit, beatum quoque Papam Anastasium eodem fervore, quia eodem spiritu est, lassitantes in foveis suis hæreticos persecutum, ejusque litteræ doceant, damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum est. Et lib. II contra Ruffinum, Beati Episcopi, Anastasius et Theophilus et Venerius et

Chromatius, et omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus, qui pari sententia, quia pari et spiritu, illum (Origenem) hæreticum denuntiant populis. Tum lib. III in eundem, Sententia non hæere inter se mendacium? et quod in articulo temporis profuit, ut Episcoporum sententias subterfugeres, patere discussum. Denique et Theophilus in Epistola ad quosdam monachos, cujus fragmentum profert Justinianus ad Menam, quod Latine ita sonat : Igitur anathema dicentes in Origenem aliosque hæreticos, quemadmodum factum est a nobis, et ab Anastasio sanctæ Romanorum Ecclesiæ Episcopo..... quem et omnis Beatorum Occidentis Episcoporum sequitur cœtus, Alexandrinorum Ecclesiæ sententiam adversus impium latam suscipiens.

Sed nihil aequè luculentum atque illud, quod nobis proferre in lucem ex antiquissimo Ambrosianæ Bibliothecæ Ms. libro monumentum sorte datum est, quo ipsa S. Pontificis hæc super re Epistola continetur. Dedit quippe ille statim litteras ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum, Theophili studium impense laudans, ejusque se literis conventum referens, in Origenianam hæresim anathema pronuntiavisse incipit : Domino fratri SIMPLICIANO ANASTASIUS. Grandem sollicitudinem atque excubias super gregem suum pastor habere approbatur... Pari animo vir sanctus, et honorabilis Theophilus, frater, et coepiscopus noster circa salatis comoda non desinit vigilare, ne Dei populus per diversas Ecclesias, Origenem legendo, in magnas incurrat blasphemias. Conventus literis memorati, convenio Sanctitatem tuam : ut sicuti nos in Urbe Roma positi, quam Princeps Apostolorum statuit, et fide sua confirmavit gloriosus Petrus, ne quis contra præceptum legat hæc quæ diximus, damnavimus, et cum magnis precibus postulavimus, ut Evangeliorum instituta, etc.... Igitur hoc præceptum tenentes, illud quidquid est fidei nostræ contrarium, ab Origene quondam scriptum, indicavimus a nobis esse alienum, atque punitum. Hæc Sanctitati tuæ scripsimus per Eusebium Presbyterum qui calorem fidei gestans, et amorem circa Dominum habens, quædam capitula blasphemiarum obtulit, quæ nos non solum horrivimus, et judicavimus, verum et si qua alia sunt ab Origene exposita, cum suo Auctore pariter a nobis scias esse damnata. Epistolæ tempus ex ipsa inscriptione ad Simplicianum colligitur, quippe quem hujusmet anni 400, mense Maio, vel Junio, ut summum, jam diem obiisse, certissimis monumentis constat. Hujus utique alterius mensis sub finem scribens Paulinus Nolanus Epistolam XX. successisse jam Cathedræ Mediolanensi Venerium, prodit, ubi, Mediolanensis quoque, ait Episcopus NOVUS, filius vester hucusque, nunc frater Venerius jam scripserat nobis post ordinationem suam, etc. Congruum et Cremonensis Eusebii Presbyteri mentio, quam ingerit Anastasius, et quo litterarum portitore usus est : hunc enim per id nempe temporis Mediolanum venisse, cum fuisset etiam tum Romæ diversatus, rerum ejus, quas subinde attigimus, series significat. Tum illud ibi videtur contigisse,

de quo Ruffinus lib. I. contra Hieronymum queritur, fuisse scilicet ab Eusebio sententia quadam impia schedas suæ interpretationis adulteratas. Quum, inquit, *hujusmodi sententiam apud Mediolanum recitaret, et a me quæ exigebat, falsa esse dicerentur, interrogatus a quo accepisset exemplaria, respondit, matronam quamdam sibi dedisse.* Denique parum sese promovisse ratus Anastasius, in ipsum se tumultus Auctorem Ruffinum vertit, ac Romam ad causam dicendam accessit. Neque eum tamen unum, sed et alios omnes per Italiam, qui Origeni faverent, ad purgandam hæreseos suspitionem sæpius accitos, Hieronymus indicat: et laudi Marcellæ tribuit, quæ in id totis viribus incubuisset. *Damnationis, inquit Epist. CXXVII. hæreticorum hæc fuit principium, dum adducit testes qui prius ab eis eruditi, et postea ab hæretico fuerant errore correcti; dum ostendit multitudinem deceptorum, dum impia $\Pi\epsilon\pi\iota$ $\Delta\epsilon\chi\theta\upsilon$ ingerit volumina, quæ emendata manu scorpionum (Ruffini) monstrabantur: dum acciti frequentibus litteris hæretici, ut se defenderent, venire non sunt ausi: tantaque vis conscientie fuit, ut magis absentes damnari, quam præsentem coargui maluerint.*

IX. Cum hac igitur duriore fortuna Ruffinus conflictabatur, cum existimationi suæ consulere, calamo et scriptis deliberavit. Ac primum Epistolæ Hieronymianæ ad Pammachium, respondere instituit, ex qua partem malorum contra se maximam manare sentiebat. Sunt qui hoc responsum intercidiisse autumant, magni in re litteraria nominis viri, Huetius, Caveus, atque alii hodiernum, qui libros Invektivarum, ut vulgo inscribuntur, diversum ab illo opus existimant, atque Apologiæ Hieronymianæ, non Epistolæ refellendæ natum. Sed Ruffinus illos Epistolæ ipsi opposuit, ut ex universo descriptionis contextu, si alia in eam rem desint argumenta, perspicuum est. Ac sibi quidem, ait, respondendi ex parte justam necessitatem imponi, siquidem, nisi impactam jam ab se notam hæreseos depelleret, famæ apud multos periclitaretur. Priore itaque libro (in duos enim Apologiam hanc suam, sive ut odioso nomine inscribi solent, *Invektivas*, tribuit) totus ferme est in refellendis de Fide criminationibus, suumque dogma de Trinitate, Incarnatione, Resurrectione, secundo Adventu, et futuro Judicio Salvatoris, in quibus præsertim de Origenianæ sententiæ præjudiciis accusabatur, unum idemque plane esse cum dogmate Catholicæ Ecclesiæ, ostendit. Tum nihil sibi curæ ait esse de Origene, *sive enim stat apud Deum, sive lapsus est, ipse viderit.* Adornatam abs se tamen librorum ejus $\Pi\epsilon\pi\iota$ $\Delta\epsilon\chi\theta\upsilon$, interpretationem rationibus, atque argumentis sane non contemnendis tuetur. Valde autem de iis queritur, qui schedas suas in emendatas, furtoque acceptas proferre in publicum malo utique animo ausi sunt, *et non solum perversa intelligentia, verum etiam verborum adulterio conati sunt infumare.* Altero libro Hieronymum præcipue impetit, censuramque immitem in ejus gesta dictaque omnia, maxime vero in Commentarios ejus super Epistolas Pauli exercet. Nobis hæc persecui non

vacat. Sixtus Senensis Bibliothecæ suæ Lib. VI. singulas Ruffini accusationes (*Ad not. 287. et seq.*) diligenter excerpit, cumque Hieronymi responsionibus comparavit: quem consuluisse, operæ pretium erit.

X. Hanc autem Ruffinus Apologiam non ea mente scripsit, ut vel ad Hieronymum ipsum mitteret, vel facere publici juris vellet, sed ut amicis Romanis, atque Aproniano cum primis, cui illam inscripserat, communicaret, purgaretque apud ipsos suspitionem hæreseos, apud quos bene audire, sua maxime intererat. Factum quoque ex Auctoris voto, ut nequaquam in vulgus spargeretur, sed *per angulos*, ut ait Hieronymus, et inter ejus gregales nominis tantummodo legeretur. Quod hic quidem dolo factum malo interpretatur, quo nempe *simplicium* credulitati illuderent, sibi pro se respondendi facultatem auferrent. Ruffini autem animus fuit, quod ex ipso contra eum libro Sancti Patris III. colligitur, ut ad eos tantum mitteretur, qui Hieronymi verbis læsi fuerant, et non ad plures. Et sane alios diu multumque latuit, scriniis amicorum observata, ut tantum inaudire præcipua quædam ejus capita, eaque corrosa hinc inde mittere postmodum ad Hieronymum Pammachius et Marcella potuerint. Quæ causa est, cur post tres ferme annos cum demum integra ad ejus manus devenisset, Ruffinum dixerit Noster, in ea elaboranda *triennium* desudasse (*Lib. III. cont. Ruf.*). Locus ille eruditissimis viris fraudi olim fuit et nunc est, qui vere triennium elucubrationi suæ illi impensum ab Ruffino autumant, cum ab hac tamen rerum ejus serie quam edisserimus, fuisse illam constet, paucis hujusmet anni 400. ejusque ad finem vergentis, diebus cæptam atque absolutam.

Sed ut amicis Romanis Presbyter Aquileiensis multum scriptione illa sua se proharit, satisfaciendum adhuc erat Anastasio Pontifici, a quo fuerat, ut modo vidimus, Romam ad causam dicendam accitus. Eodem itaque tempore brevioram aliam Apologiam ad eum pro fide sua misit, ad detrectandam eo perfectionem, his usus excusationibus: *Quoniam, inquit, ipse post triginta fere annos parentibus redditus sum, et durum satis atque inhumanum erat, si tam cito desererem eos, quos tam tarde reviseram: simul et quia tam longi itineris labor fragiliorem me reddit ad iterandos labores.* Omnino autem hanc se scribere proficitur, ut conflata sibi ab æmulis apud eundem invidiam diluat; non, ut ait, *de sancta mente tua, quæ velut quoddam Dei sacrarium aliquid iniquum non recipit, maculam suspicionis abstergerem.* Purgat deinde se fidei suæ expositione in his, quæ Origeni ut Auctori, sibi ut interpreti, hæretica dogmata obijciebantur, De Trinitate Verbi, Incarnatione, Resurrectione carnis, Extremo Judicio, Diaboli damnatione æterna, denique animarum origine. Tum quod ferme rei caput erat, suam excusans librorum $\Pi\epsilon\pi\iota$ $\Delta\epsilon\chi\theta\upsilon$ interpretationem, *Origenis, ait, ego neque defensor sum, neque assertor, neque primus interpres. Alii ante me hoc idem opus fecerunt: feci et ego postremus rogatus a fratribus. Si jubetur, ne fiat, jussio observari solet*

(al. debet) in posterum. Si culpantur, qui ante iussio-
nem fecerunt, culpa a primis incipiat. Ego enim præter
hanc fidem, quam supra exposui, id est quam Romana
Ecclesia et Alexandrina, et Aquileiensis nostra tenet,
quæque Jerosolymis prædicatur, aliam nec habui un-
quam, nec habeo in Christi nomine, nec habebō. Ter-
tius quæ Commodus hic ejus est Apologiæ liber, quem
certe una cum duobus aliis adversum se scriptis
computavit Hieronymus, cum *TRES contra se libros*
venustate Attica texuisse Rufinum, primo contra eum-
dem libro sub initium testatus est, et cum alibi *tria*
volumina appellavit. Re enim vera Apologiam hanc
quoque ad Anastasium passim contra se scribi,
S. Pater intellexit, eidemque per partes respondit.
Hætenus vero, cum duo tantum sint, qui eum pro-
prie petunt, Invectivarum libri, in hac explicanda
difficultate eruditissimi viri abierunt a vero longius,
neque nos in Præfatione secundi Tomi, isthuc quod
res erat, fuimus assequuti.

CAPUT XXXI.

I. *Theophilus in Origenistas declamat Paschali Epi-
stola.* II. *Tum de Nitriæ monasteriis, coacta ibi Sy-
nodo ejicit.* III. *Synodicam quoque, sive Generalem
contra illos Epistolam scribit.* IV. *Alia ejus, atque
aliorum ea de re scripta.* V. *Quæ Hieronymus Latine
omnia vertit.* VI. *Incipiens a Paschali.* VII. *et
VIII. A qua aliarum ejus interpretationum chronicus
ordo restituitur.* IX. *Et germanitas Hieronymianæ in
iis operæ comprobatur.*

I. Quod pone sequitur ab iis Occidentalis Eccle-
siæ motibus biennii circiter spatium, Orientem Ori-
geniana factio turbis, ac gestis omni diritate teterri-
mis exagitavit. Nos dumtaxat, quæ maxime sunt cum
Vitæ Hieronymianæ serie conjuncta, paucis perstrin-
gemus: quanquam omnis fere causæ ejus historia,
vel scriptis Hieronymi primigeniis, vel aliorum ab eo
Latine explicatis continetur. Theophilus simul atque
Anastasii deperditas modo litteras accepit, quibus,
ut notatum videtur S. Patri, significabat, *damna-
tum in Occidente, quod in Oriente damnatum fuerat*
(*Epist. XCVII*), animos sibi sumens atque audentior
factus, novum multoque acris contra Origenistas
bellum indixit. Erat Alexandrinæ Ecclesiæ, cujus
ipse thronum obtinebat, Episcopis jamdiu olim in
more positum, ut quotannis initio futurum proxime
Pascha prænunderent encyclicis ad totius Episcopos
Ægypti *Epistolis*, quibus est etiam ea de causa no-
men *Paschalibus*. Illa occasione ad rectæ fidei caute
custodiendum depositum, sancteque traducendam
vitam, prout res Ecclesiæ ferrent, hortabantur. An-
num hunc itaque 401 Theophilus aperit Paschali
Epistola, quæ primum de tribus quas Hieronymus
Latine interpretatus est, locum in Recensione nostra
obtinere: suum, inquam, contra atque habent Edi-
tiones ante nos omnes, in quibus omnium præpos-
terus et confusus ordo est. Sed de his postea. In ea
quidquid ad creandam Origenianis opinionibus invi-
diam, ipsumque Auctorem diris devovendum, jactari

S. HIERONYMI. I.

poterat, conviciis odiosissimis tertio quoque verbo
intermixtis, congressit. Hic temeritatis eum notat im-
pudentissimæ, alibi, erroris manifesti, tum insanix,
imperitiæ, superbix, impietatis, delirii, recordiæ, et
si quæ alia sunt quæ malevolentiam lectorum acuant.
Denique et dæmoniaco actum spiritu, et fautorem
dæmonum, perpetuo autem blasphemum, et bla-
sphemiæ auctorem nequissimum vocat. Nec fero-
cioribus sectatores ejus doctrinæ verbis perstrin-
git, quos facessere jubet, *stultissimos mortalium, ac
descendere in Infernum, ut præceptorem impietatis suæ
ibi esse oculis suis cernant.* Et paulo superius: *Quis-
cant ergo, ait, aliquando, qui regni Christi finem
somniautes, verborum Origenis cupiunt esse parasiti,
nec cum fidelibus ambulantes, fidem quam non habent,
simulent,* etc. Et prope finem: *Capti, inquit, elo-
quentiæ (Origenis) sono, non intuentur dogmatum veri-
tatem, erubescunt errorem pristinum confiteri, et arro-
gantix tumore cæcati, nolunt esse discipuli, ne postquam
correcti fuerint, prius errasse videantur.* Carpit his
verbis Nitrienses præcipue Monachos, Origeni per-
quam addictos, qui synodicæ præcedentis anni
damnationi ejus minime acquieverant. Sed neque
modo obsecuti sunt; ut enim errores illos ultro
exsecrarentur, non tamen Origenis esse contende-
bant, sed hæreticorum, qui adulteratis ejus operibus
de suo inseruissent.

II. Movit hæc Monachorum pertinacia Theophili
stomachum, hominis suapte etiam natura irarum
impotentis: qui satius tamen in præsentia statuit
reponere odium, ut commodum ultioni suæ illos ma-
ctaret. Diu quippe erat, quod Ecclesiæ causam pri-
vatis simultatibus prætexebat, si Palladio, Auctori
Vitæ S. Joannis Chrysostomi (alio utique ab historiæ
Lausiacæ Auctore) Socrati etiam et Sozomeno credi-
mus. Atque invisos certe canes pejus et angue habe-
bat germanos notissimos fratres, cognomento *Longos*
ita a proceritate corporis appellatos, cumque his
memoratum superius sæpe Isidorum, variis quidem
de causis, ut proditum est ab Antiquis, sed quarum
nulla de nimia illum severitate excuset. Quo autem
irarum processerit, sive obtentu Origenismi, sive ut
privatas injurias persequeretur, ex Palladio ca-
pite VI. sub finem audiamus: *Theophilus mittit lite-
ras ad vicinos (Nitriæ) Episcopos, et jubet quosdam e
primariis a monte et ab interiori eremo expelli, eosque
præcipuos monachos, minime addita causa. Qui monachi
cum senioribus Alexandriam cum descendissent, orabant
Theophilum, causam ut diceret, ob quam condemnati
ejectique essent. Ille autem sanguinolentis oculis draco-
num instar intendens, torvum taurino more intuebatur;
modo quidem lividus, modo pallidus, modo autem aviare
subridens. Ab immodica ira abreptus, Ammonio viro
grandævo omophorium manibus ipse suis injicit in col-
lum, cum malis ejus plagas inflizisset, et pugnis nares
ejus cruentasset, inclamans his vocibus, Hæretice ana-
thematiza Origenem; cum nihil esset propositum de
Origene præter postulationem Isidori causa. Tali
enim ira est, voluti canes, cæca et dicta et facta parit*

(Cinq.)

Igitur sic sanguine aspersi, et sine responsione reverari ad sua monasteria, propositum vitæ institutum persequuntur, Scripturarum scientia ingenium acuentes, per quas salus acquiritur; illius insaniam eo curantes minus, quod nullius mali sibi conscii essent. His non adqueiescens Theophilus, mittit ad vicinos episcopos, et adversus monachos cogit Concilium, neque ad defensionem vocalis ipsis, nec facta illis dicendi potestate. Tres viros ex præcipuis excommunicat, veritus simul contra multitudinem pœnam decernere, prætexens dogmatum perversitatem; et quos plusquam episcopos honoraverat ut magistros propter vitam, doctrinam et ætatem, eos non puduit appellare præstigiatores, eo quod erga Isidorum optime affecti essent. Refert deinde, quemadmodum subornatis quinque ex ipso Nitriæ Monasterio, ut libellos darent adversus tres illos senes, falsæ accusationis verba ipse contextit: et ingressus ad Augustalem petiit, ut militari manu expellerentur ii homines ex universa Ægypto. Et accepto (pergit) in speciem militis, una cum mandato, acceleratum multitudinem congregat, qui circa potestates versantur ad omnia parati, et repente monasteria noctu invadit, cum prius pueros qui secum erant, vino ingurgitasset. Et paucis interjectis de Dioscuro: Inde prædatur montem, Monachorum reculas junioribus prædam addicens. Expilatis cellulis, tres illos inquit, quos in puteum dimiserant, imposita ori putei florea. Cum autem non invenisset, eorum cellulas sarmentis incendit, combustis una libris omnibus, etc. Cum autem impotens ejus ira paululum deserbuisse, Alexandriam repelit, locum fugæ dans sanctis illis viris, qui sumptis statim melotis suis, in Palestinam profecti, Æliam adventant. Cum iis egressi sunt, præter Presbyteros et Diaconos, illius montis trecenti optimorum Monachorum; alii vero per diversa loca dispersi sunt. Operæ pretium fuit hæc paulo licet diffusiora, atque ex Auctore non usque adeo probatæ in his fidei descripsisse, ut quæ item de fugatis e Nitriæ monte Origenistis Theophilus in Synodica, sive Generali Epistola sua narrat, quanquam in sui gratiam serie gestorum composita, hæc tamen omnia spectare videas, neque aliam eam esse, neque alterius temporis narrationem.

III. Scripsit itaque statim Theophilus Synodicam, ut Noster vocat, sive encyclicam, generalem atque uniformem Epistolam ad Episcopos Palæstinos, et ad Cyprios, atque eos quidem in Æliæ Encænii congregatos, quibus nuntiat, quod e vicinis Episcopis congregatis, qui prope (ort. probe) implerent numerum Synodi, perrexerit Nitriam, et coram multis Patribus, qui de tota pene Ægypto convolverunt, lecti sint libri Origenis, in quibus impio labore sudavit, et consensu omnium condemnati. Errores deinde præcipuos notat, quos et pridem anathemate percussos abs se indicat. Cujus quidem ait rei causa, cum Monachorum quidam Nitriæ indigne ferrent, auctorem mali tanti cum suo errore damnari, manu facta, advolasse Alexandriam, ac de se interficiendo cogitasse: quosdam, inquit, inopes et seruos spe gulas sollicitatos suo junxere comitatui, et facto cuneo, sedenti in Alexandria

vim facere conati sunt. Et, Prætermitto quomodo nobis necem inferre tentaverint, et quibus insidiis id nuntiati sunt, etc. Tum illos quasi transfugas, non abs se autem exactos de monasteriis, significans, addit, Condemnati sunt, et ejecti de Ecclesia; sed salutati juncta superbia, Episcoporum judicii contradicunt, cohæreticum suum nitentes seditione defendere, et per alienas provincias suberrantes, damnati damnatum habent ducem (puta Isidorum) et hujus operis eriguntur. Obsecro itaque vos, Fratres carissimi, ut si istuc veniunt, præceptis Evangelicis eos ad lacrymas provocetis.... Sed ut audio imitantes Zabulum, hæc illucque discurrunt, et querunt quos suis impietatibus devorent..... Sicubi ergo fratres et plebem, quæ vobis credita est, turbare tentaverint, custodite gregem Domini, et insanos impetus eorum reprimite.

IV. Verba hæc ipsa sunt, quæ ex Theophili Græco textu Latine refudit Hieronymus, ut et illa, quæ superius ex Paschali prima decessimus. Sævetus enim vero Pater cum niro odio Origenisnum aversaretur, suamque ad eum extirpandum conferre operam, et sæpius flagitaretur, et sponte vellet, nihil in eam rem satius duxit, quam eorum, qui auctoritate sua in Origenistas animadverterant, sententias et scripta profferret latinus, et suæ linguæ hominibus communicaret. Cujus certe rei maxima debetur ei gratia, ut sicubi etiam peccatum humanitus sit in ea peragenda causa, privatis odiis ad Ecclesiæ partes accedentibus; monumenta illa tamen, quibus hæretica profulgata est factio, et S. Pater est interpretatus, ab hæc etiam sint labe immunia. Accedit, quod Græcis jamdiu olim earum scripturum deperditis exemplaribus, totus sermo ab his fructus repetendus est Origeniana historia, assertæque tunc temporis Catholicæ Fidei, quæ authenticæ libris Acta continebantur. Neque enim Paschalem tantummodo illam et Synodicam Epistolam convertit, sed pleraque alia in eadem causa, cum Theophili, tum aliorum scripta, Synodi, inquam, Jerosolymitanæ responsum, et Dionysii Liddensis, et Epiphaniæ, atque alia, utque est verosimillimum, omnia, quæ hoc anno fuerunt contra Origenistas elucubrata. Quæ quidem nos primum maximam certe partem in lucem protulimus, et cum aut nescirentur plane antea, aut deperdita jamdiu crederentur, Hieronymianis reliquis utpote germanam procul dubio ingenii ejus sobole ad censuimus. Alio autem respectu inter se atque ordine ibi recensentur, ab eo qui nunc magis ad rideret, et ad quem hæc loci exigere, non abs re videtur, tametsi, ut aperte quod sentio dicam, neque hic satis probetur, neque porro videam, si quis in tanta pugnantium contra se invicem testimoniorum diversitate, quantam laud facile credet, qui hisce monumentis manum non admoverit, certus excudi possit.

V. Fecerit itaque Sanctus Pater ab interpretatione Paschalis Epistolæ initium: quæ prima in Editione nostra est, et juxta certissimas Cycli Paschalis regulas hujusmet anni 401 Pascha denuntiat, quod nono decimo die mensis Pharmuthi, id est, Aprilis decimo

quarto designatur. Et primo quidem Vere, si placet, Latine hæc refuderit, ut ab eo tempore ad subsequentis anni ætatem, cum tertium adversus Rufinum Librum exararet, vere dixerit, *ferme biennium intercessisse*. Locum infra laudabimus. Huc autem referre illud liceat, quod primam tempestatem illam anni S. Interpres notat, cum Epistola XCVII. ad Pammachium et Marcellam, mittens Paschalem alteram, *Rursus*, ait, *Orientalibus vos locupleto mercibus, et Alexandrinæ opes primo Romam Vere transmitto*, ut illud primo vere ad utramque Paschalem, huius, inquam, et subsequentis anni, vi adverbii *rursus*, quod utrumque sententiæ membrum afficiat, referatur. Ita nos rerum ordo componere rationes jubet, ut lex deinde aliqua affulgeat.

VI. Cæterum non Paschalem, sed Synodicam priore ipse loco nominat, ex his, quæ insigni testimonio illo lib. III. contra Rufinum de Theophili scriptis se ait transtulisse. *Duas*, inquit, *Synodicam et Paschalem ejus* (Theophili) *Epistolas contra Origenem illiusque discipulos, et alias adversus Apollinarium et eundem Origenem per hoc ferme biennium interpretatus sum, et in ædificationem Ecclesiæ legendas nostræ linguæ hominibus dedi*. Potest in eam quoque rem sumi argumentum ex loco, quem in Ambrosianæ Bibliothecæ manuscripto codice auro contra ac gemmis æstimando, obtinet: In quo cum omnia ferme Origenianæ causæ ac damnationis monimenta abs Hieronymo in Latinum translata contineantur, Synodica proxime Paschalem huius anni Epistolam antecedit. Antecedit autem non imprudentis Antiquarii lubitu aut casu, sed dedita, ut colligere licet ex consequentibus, opera; nam alioqui gestorum ordo, et materies postulabat, ut illam pone subsequeretur Synodi Jerosolymitanæ responsio, non Paschalis illa Epistola, quæ inter utramque conjecta, ad fidem vetustissimi exemplaris, ac temporis facile Hieronymiani, ita olim collocatam se indicat. Quæ quidem ideo replicamus, quod adhuc re ipsa nos moveant, atque expendi ab eruditioribus velimus: denique ut ne videamur olim, cum Synodicam ipsam edidimus, leviter ex hoc ordine conjecturam fecisse de translationis prærogativa. At enim si priore loco redditam Latine Synodicam dicimus, quæ nisi post Septembrem mensem Hieronymo innotescere omnino non potuit (eo siquidem mense fere medio, Græcæ adhuc perscripta ab auctore ad Pallasinos Episcopos in Æliæ Euceniis congregatos missa est) minime illa biennii ratio, quam notat S. Interpres, constabit, nisi si eam potamus præcedenti anno 400 scriptam. Quæ quidem sententia olim nostra erat; sed obstare postmodum visa est rerum, quæ subsequuntur sunt, series, atque illud cum primis quod de transfugis Monachis, deque tot motibus quos Synodica memorat, Paschalis silet: quæ sequioris temporis nota est, cum ea contigerunt. Igitur post novem fere ab hac menses scripta illa videri potest, et haud multo post, eodem vertente tamen anno 401 aut subsequentis initio in Latinum versa abs Hieronymo.

VII. Sed interpretationem ipsam quod spectat, duæ aliæ, nisi admodum fallimur, Epistolæ præcesserint, quarum altera Theophili ad Hieronymum, altera huius ad illum Responsio est: illa numero LXXXIX, hæc LXXXVI in Editione nostra prænotantur. Scribit Theophilus per Theodorum monachum, qui *Roman navigaturus*, facile ad ferendum Anastasio de profligatis Origenistis nuntium, *noluit ante proficisci, nisi Hieronymum et sanctos fratres, qui cum eo erant in Monasterio, quasi sua viscera amplexaretur, et inviseret*. Quem, subdit, *cum susceperis pro Ecclesiæ tranquillitate lætare. Vidit enim cuncta Nitriæ Monasteria, et referre potest continentiam et mansuetudinem monachorum: quomodo extinctis et fugatis Origenis sectatoribus, pax Ecclesiæ reddita sit, et disciplina Domini conservetur. Atque utinam apud vos quoque deponerent hypocrisim, qui occulte dicuntur subruere veritatem*. Hæc primæ videntur Theophili ad Nostrum literæ, quibus de ejectis e Nitriæ monte Origenistis monachis nuntiatum est. Intercesserat vero jam aliquod ab re gesta temporis spatium: siquidem et qui Nitriæ remanserunt Monachi ex seditione jam se in tranquillum contulerant, et ad eos qui fugæ se dederant, persequendos, submiserat Theophilus in Palæstinam legatos, Priscum atque Eubulum, quibus nihil ad se litterarum dedisse, blande Hieronymus quæstus est; *Unde*, inquit, *licet per Sanctos Fratres, Priscum et Eubulum tuus ad nos sermo cessaverit: tamen quia*, etc. Hæc porro S. Doctoris Epistola, altera, inquam, ex his de quibus disputamus, quemadmodum multis videtur, nec sane est præter verisimilitudinem, ad Theophilensem illam Responsio est: eandem certe multo luculentius temporis notam designat. *Nuper*, inquit, *tuæ Beatitudinis accipi scripta, emendantia vetus silentium, et me ad solitum officium provocantia*. Nimirum scripta ista non alia sunt, quantum intelligo, a Synodica toties laudata Epistola: qua *nuper* accepta, provocatum se ait Sanctus Pater *ad solitum officium*, transferendi scilicet in Latinum. Vetus autem illud silentium, quod scripta emendabant, non erga se habitum cumprimis dicit, sed in Origeniana utique causa, quod subsequens contextus declarat. *Ostendisti*, inquit, *quod hucusque taciturnitas dispensatio fuit, non consensus. Libere enim Reverentiæ tuæ loquor. Dolebamus te nimium esse patientem, et ignorantes magistri gubernacula, gestiebamus in interitum perditorum. Sed, ut video extendisti manum diu, et suspendisti plugam, ut ferires fortius. Vides quo silentium illud, totusque loci contextus spectet. Siluit enimvero post conditam Paschalem primam, sive ab huius initio anni hucusque Theophilus, seque continuo satis patienter gessit adversus contentiosum illum ac pugnax Monachorum genus, qui frequentibus Synodis ac monitis Episcoporum nunquam paruerant. Hoc autem anno circa Septembrem tacuisse jam satis se, jamque facto opus esse intelligens, *extendit manum*, cœpitque in eos pœnas: quas quidem paulo iniquiore animo Palladius, Socrates ac Sozomenus narrando exaggerant: non alia ab hac tamen res est, quam Synodica*

Epistola ipsa indicat. Omnino itaque nuperus Scriptor, qui laudata Hieronymi verba ad aliud tempus respicere autumat, quam quo exacti sunt de Nitricæ Monasteriis Origenistarum, et Synodica contra illos condita, a veri specie omni aberrat.

VIII. Videri autem adhuc duæ possunt ante Synodicam Epistolæ abs Hieronymo in Latinum versæ, quarum alteram Theophilus ad Epiphanium, alteram ad Nostrum Epiphanium dedit. Quamquam parum equidem refert, de translationis prærogativa scrupulosius investigare, cum intra paucos menses, et ante insequentem annum, æque omnes Romano cultu donatæ sint. Priore illa Theophilus Epiphanio nuntiat, *egredientes de cavernis suis Origenis colubros Evangelico ense truncatos : et secundum Nitricæ Monachorum agmen contagione pestifera liberatum*. Tum ait, *Pauca ergo ex his quæ gesta sunt, in Generali (Synodica scilicet) Epistola, quam ad omnes in commune direxi, pro ut patiebatur angustia temporis comprehendere. Dignationis tuæ est, quæ in hujuscemodi certaminibus sæpe ante nos pugnavit, et positos in prælio consolari, et congregare totius insulæ Episcopos, ac Synodicas litteras tam illi nos, quam ad Constantinopolitanæ urbis Episcopum (eo enim intellexerat transfugas Monachos navigasse) et si quos alios putaveris, mittere, ut consensu omnium et ipse Origenes nominatim, et hæresis nefaria condemnentur*. Altera, quæ hanc proxime data est, significat Epiphanium Hieronymo gaudium ex Origenistarum proscriptione perceptum, cui et mittit Generalem Theophili Epistolam, facile ut Latine interpretetur, et laudatius proferat. Denique auctor est, ut quos adversus eam hæresim scripsisset libros, in vulgus edat. Iudicio autem hæc sunt, et nondum abs Hieronymo fuisse Synodicam, sive Generalem, ut vocant, Epistolam Latine explicatam, et post exiguum ab ea temporis spatium has etiam literas scriptas. Dicemus paulo post, quibus testimoniis de harum quoque translatione vere Hieronymiana constat.

IX. Postea igitur et Synodicam centies laudatam, et cujus gratia hæc disputata sunt hæcenus, vertit. Vertit autem, nisi nos series verosimilis rerum fallit, Octobri, aut Novembri mense: certe rationes ita subducere illud nos cogit, quod ipsam autographam ab Alexandrino Antistite missam in commune ad Episcopos sub initium Septembris, jam constituimus. Transtulit autem simul, eademque opera Synodi quoque Jerosolymitanæ ad illam Responsum, Synodicam, inquam, aliam ab Episcopis in *Æliæ Encæntis congregatis* Epistolam ad Theophilum. Incipit illa, *Domno et honorabilissimo Episcopo, Theophilo, Eulogio, Joannes et ceteri Episcopi, qui Jerosolymis in sancta Encæntiorum die reperti sunt*. Summa contextus, *Unum propemodum Palæstinam gratia Christi ab hæreticorum alienum esse scandalo, præter paucos qui Apollinaris erroribus adquiescerent*. Exsecrari tamen se, quos suis ille litteris errores denunciaverat: et quos vel propter dogmatum pravitatem, vel propter alias causas a communione sejunxerat, non recepturos, donec ipse penitentia eorum, si tamen voluerint damnare perversa, veniam

dederit. Postremo et aliud ad eundem Theophilum Latine tunc Noster vertit Responsum Dionysii Liddensis Episcopi, quo eidem gratulatur de *electis (Ma. electis) sceleratissimis blasphemis (fort. blasphemis) Origenis discipulis*, atque ut nullum persequendi eos finem faciat, hortatur. Has quoque duas quantivis pretii inter omnia Ecclesiasticæ eruditionis monumenta, Epistolam nos de situ ac pene iteritu ipso in lucem salvas protulimus: quæ Hieronymianorum Opera partem, qua hæcenus caruerunt, longe nobilissimam explent.

Enimvero, quod æque omnes ab illo fuerint Latinitate donatæ, ut pleraque alia nunc prætermittamus argumenta, ipsomet S. Interprete fide jubente, compertum est. Nihil eo clarius testimonio, quod et supra laudavimus ex tertio ejus contra Ruffinum libro: *Duas, Synodicam, et Paschalem ejus (Theophili) Epistolas contra Origenem, illiusque discipulos, et alias adversus Apollinarium et eundem Origenem per hoc ferme biennium interpretatus sum, et in ædificationem Ecclesiæ legendas nostræ lingue hominibus dedi*. Reliquas quod spectat, nihil eo inculentius quod habet Apologético lib. I. adversus eundem Ruffinum, num. 12. ubi, *Si, inquit, quidquid contra Origenem, et sectatores ejus dicitur, in te dictum putas, ergo et Epistolæ Papæ Theophili, et EPIPHANII et ALIORUM EPISCOPORUM, QUAS NUPER, ipsis jubentibus, TRANSTULI, te petunt, te lacerant*. Quippe alii præter laudatos de nomine Episcopi in Origenem ejusque sectatores Epistolam scripsisse, quas per id temporis Hieronymus Latine explicavit, minime innui possunt, si Jerosolymitanæ cum primis Synodi Patres, et Dionysius iste Liddensis non sunt, quorum literæ proferuntur. Res præterea ipsa postulabat, ut quando Theophili Synodicam ad eos verterat, horum etiam ad cum Responsa, quæ plurimum Ecclesiæ causam contra Origenistas promovebant, transferret. Dionysium enim quod spectat, ut ejus Epistolam interpretaretur, ratio alia accedebat. quod ei scilicet junctus pridem erat amicitia, ut quo tempore ab Joannis Jerosolymitani se communione separaverat, ad cum miserit baptizatum Competentes, quos in Monasterio habebat. Quos, inquit, nos Diospolim ad Confessorem Episcopum misimus Dionysium baptizandos. Diospolim autem esse sub diverso nomine civitatem, nemo est qui nesciat.

His itaque series Hieronymianarum interpretationum hujus anni concluditur: quas et ponere ob legentium oculos ad indicis instar præstabit.

Theophili Paschalis Epist. I.

Ejusd. ad Hieronymum. quæ incipit Didici.

Hieronym. ad Theoph. cujus initium Nuper.

Theophili ad Epiphanium.

Epiphanii ad Hieronymum.

Synodica Theophili ad Episcopos Palæstinos et Cyprios.

Synodica Jerosolymit. Concilii ad Theophilum.

Dionysii Liddensis Episcopi ad eundem.

CAPUT XXXII.

I. *Paschalem Theophili alteram interpretatur.* II. *Tum synopsis librorum contra se Ruffini respondet.* III. *Quo tempore et Hospitium iuxta Monasterium aedificat.* IV. *Ad eum Ruffinus integrum exemplar Invektivarum suarum mittit.* V. *Atque una Epistolam, nunc deperditam, qua illum ejusque libros pessime excipit.* VI. *Adversus quem Noster tertium Apologetici sui librum cudit.* VII. *Eicet ab Aquileiensi Episcopo Sancto Chromatio rogatus, ut a scribendo in Ruffinum abstereret.* VIII. *De commentitia Epistola ad Afros sub ejus nomine in vulgus edita.* IX. *Scribit ad varios Epistolas, quae recensentur.*

I. Subsequenti anno vixdum inchoato prodit altera Theophili Paschalis Epistola adversus Apollinarium et Origenem, cujus initium est, *Primum solemnitate augustae, et quam ex Paschali cyclo haec esse anno adscribendam, contra atque Editiones, quae nostram praecessere, omnes habent, compertum est.* Atque hanc statim Latine Hieronymus explicavit, et simul atque apertum est navigationibus mare, Romam una cum Graeco exemplari, versioni suae fidem contra obtractatores facturus, ad Pammachium et Marcellam misit. Dedit simul ad eos Epistolam, in recensione nostra XCVII. cui scilicet Paschalem ipsam adjunxit, atque exordium hoc fecit: *Rursum Orientalibus vos locupletis mercibus, et Alexandrinis opes primo Romam vere transmittite.* Martii nempe mensis initio, quod et facile verba *primo vere* inveniunt, et sedulo notari in eum quem e vestigio dicturus sum finem, velim. Post aliquanta: *Vos Christiani Senatus lumina, accipite et Graecam et Latinam etiam hoc anno Epistolam, ne rursus haeretici mentiantur, a nobis pleraque vel addita vel mutata: in qua laborasse me fateor, ut verborum elegantiam pari interpretationis venustate servarem.* Superius autem cum multa in Origenistas dixisset, atque in aemulos suos, qui maledictorum pannos hinc inde consuebant, ac dicere porro pergat praecipue in Ruffinum, quem tacito nomine, acriter saepius perstringit: nunquam tamen, ne verbo quidem tenuis, Apologetici contra illum Operis meminisset. Meminisset autem omnino debuit, si tunc temporis elucubraverat; primo enim elucubrasset ante paucos dies, quam Paschalem ipsam interpretaretur (siquidem certo certius est, ut suo loco mox ostendemus, non potuisse citius hocmet anno scribi) deinde cum iisdem Pammachio et Marcellae, quos his literis alloquitur, inscripserit, ac miserit Romam: non potuit, quin recentissimi operis ad eos ita dudum missi, ut accipere nondum potuissent, mentionem eis faceret. Igilur postea elucubravit. Sed quid opus est pluribus? Apparet ex adjunctis rei omnibus, ac primum elucubratione S. Doctorem initium fecisse hoc anno scribendi Romam, nec quidquam scripturum suarum praecedenti hieme, sive duobus circiter anteactis mensibus, co misisse.

II. Statim igitur ab his litteris, atque hoc ipso in-
cunte Vere Sanctus Pater scribendis Apologeticis

contra Ruffinum libris manum admovit. Qui factum id antea, atque anno quidem superiore scriptos eos libros, hoc autem vulgatos, et Romam missos existimant, fugit euditos caetera hominis ratio. Cum enim ipsi minime distentur, Romam ante ver sequentis anni, hujus scilicet, mitti non potuisse (quod clauso jam tum per hiemem, et procelloso, ut noverant praeterea, mari, opportunum navigationi tempus operiendum esset) primum quod constituerant, ratione hac altera plane destruunt. Enimvero neque eadem, qua Paschalis Epistolae interpretatio, occasione missi sunt, quod ex adjunctis rei omnibus constat: neque praecedenti poterant, siquidem illa statim atque apertum est mare, Romam properare jussa est, et quae illi jungebatur ad Marcellam Epistola de iis libris, ut dudum ostendimus, continuo silet. Hoc se itaque ordine ac modo res habuit. Pammachius et Marcella cum, nulla adhibita diligentia, Ruffiniani Operis integrum exemplar obtinere potuissent, praecipua objectionum capita ex illo prope excepta ad Hieronymum transmiserunt. Addiderunt et literas, quibus eum acrius ad respondendum incitarent. Facile haec autem deferenda tradiderunt Pauliniano ejus fratri, qui ex Occidente Jerosolymam hoc nimirum tempore remeabat, et de ore poterat, quam ille ab Ruffini amicis maledice traduceretur, referre. De ejus profectione atque reditu, quibus insignis Hieronymianae pietatis memoria continetur, dicemus paulo post, ne coemptum historiae filum intermittamus. Acceptis his itaque libris Hieronymus, illico stylum ad retundendas aemuli calumnias arripuit: et geminam adversus illum Apologiam pro se scripsit. Atque eam quidem Romanis iisdem Proceribus, qui synopsis Ruffiniani operis ad se transmiserant, Pammachio inquam, et Marcellae (non Marcellino, ut olim lectum est perperam) nuncupavit. Ab his autem exorditus est: *Et vestris et multorum litteris didici, obijci mihi in schola Tyranni (lingua canum meorum ex inimicis ab ipso) cur Heptaptychos libros in latinum verterim.* Fuisse Ruffino praenomen Tyrannio, nos etiam animadvertimus secundis curis post Fontaninum, cum pridem ab loci nomine derivandum vocabulum videretur. Tyrannum itaque illum, sive ejus *scholam Tyrannicam* Noster nomine in suggillationem detorto, vocat: sive illud Actuum cap. XIX. v. 9. *disputans in schola Tyranni*, alludit. Porro ad singulas aemuli criminationes priore libro respondet, quo et multa de Origeniana Pamphili Apologia, quam huic Martyri adjudicat, deque Didymo, Eusebio Caesariensi, aliisque Scriptoribus Origeni addictis intermiscet, et quo ipse animo et cautione adhibita, illos tractaverit, monstrat. Altero Ruffini Apologiam ad Anastasium Papam speciatim refutat, in qua sibi *calumnia strui* videbatur. Et particulis quidem ejus identidem recitatis de verbo ad verbum (ex quo colligae hanc ob oculos integram habuisse) manum, perinde atque cum hoste suo conscribit: et cum sententias de sublesta fide aut falsitate accusaverit, verba ipsa persequitur, et sermonis bar-

bariem risu et probris exagitat. In fine cum pro sua Scripturarum ex Hebræo translatione perorasset, exspectare se ait *tria amici volumina*, et ad congeriem criminum ejus tota esse mente suspensum : nisi quod, subdit, *levius est professum inimicum cavere, quam hostem latentem sub amici nomine sustinere*. Constat porro ex his quæ dicenda mox sunt, quanti istud operis S. Doctori steterit : ita enim prope videtur ab eo adornatum, ut fortasse una atque altera elucubratione absolutum sit, certè quidem Romam hoc ipso vertente Martio mense transmissum.

III. Dicamus nunc obiter quod recepimus de Pauliniano. Causam, cur eum Stridonem ante duos annos et quod excurrit, sive 399 fere medio, Hieronymus miserit, his aperit ad Pammachium verbis Epistola LXVI. sub finem : *Nos in ista provincia ædificato Monasterio et Diversorio propter exstructo, ne forte et modo Joseph cum Maria in Bethleem veniens, non inveniat hospitium, tantis de toto orbe confluentibus turbis obruimur Monachorum, ut nec captum opus deserere, nec supra vires ferre valeamus. Unde quia p ne nobis illud de Evangelio contigit, ut futuræ turris non ante supplaremus expensas, compulsi sumus fratrem Paulinianum ad Patriam mittere, ut semirutas villulas, quæ Barbarorum effugerunt manus, et parentum communium census venderet, ne captum Sanctorum ministerium deserentes, risum maledicis et æmulis præbeamus*. Hanc nos Epistolam ante fere biennium aliis olim usi argumentis scriptam diximus, quam huc tamen differgi oportere, ad sallem 399 anni medium, nunc intelligimus ex his de Pauliniano (cujus profectionem ex Oriente huic nosmet anno adsignavimus) ac porro, ut differatur, auctores sumus. Disclmus ex his autem, quod rei caput est, exemplum Hieronymianæ pietatis longe insignissimum, atque inter Vitæ ejus laudes memoria præcipua dignum. Cum enim recipiendis innumeris prope Monachorum catervis Monasterium jam exstruisset, conlatis Paulæ sumptibus ac studiis : hospites etiam de toto illuc orbe, tam loci religione, quam sui nominis celebritate, confluentes cordi habuit, nec deesse officiis erga illos potuit. Cumque nihil sibi aliud suppeteret, ad Xenodochium ædificandum, quam parentum census ac villulæ, ne his quidem pepercit gentis suæ patrimonii, quin distraheret in ædificii ejus sumptus, et ut quibusque venientibus ad se, aut transeuntibus, large in his quæ ad vitæ usus necessaria sunt, commodaret. Et mirum hoc magis, tantam ab eo potuisse rebus ejusmodi curam adhiberi, quem vitæ ratio, tum maxime altercationibus hæreticorum sollicitæ, longeque dissimiles labores, ac studia distinebant. Nam et ante aliquot annos ad Lucinium scribens (*Epist. LXXI*), quod præ frequentia et peregrinorum turbis relegere quæ scripserat, non potuerit, causatur. Hoc autem potissimum tempore, quo pretia villarum attulit Paulinianus frater, simul huic operi, simul litteris totus incumbabat. Id ipse etiam satis manifesto innuit, cum paulo post tertium scribens adversus Ruffinum librum, *Nobis*, ait, *in Monasterio hospitalitas cordi*

est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus : veremur enim, ne Maria cum Joseph locum non inveniat in diversorio ; ne nobis Jesus dicat exclusus, Hospes eram, et non suscepistis me. Historiam persequamur.

IV. Vixdum Apologeticos eos libros Sanctus Pater absolverat, quum eorum exemplar per negotiatorem nescio quem ex Oriente Aquileiam ad Ruffinum transmissum est. Lucertum, dederitne ipse Hieronymus deferendum, an alius quispiam, ut ferme usuvenit, concertationis acendæ magis magisque animo. Ille autem negotiator, cætera ignotus homo, chartis illis Presbytero Aquileiensi redditis, cum se illuc unde venerat, prope trajecturum, rebus ita suis ferentibus, affirmaret, biduum tantummodo ad respondendum concessit. *Ante biduum* (inquit ille apud Hieronymum Apologia III.) *mihi quam proficisceretur harum bajulus, in manus venerunt, quæ in me declamasti*. Quod repetit ipse quidem S. etiam Pater libro laudato, *Ante biduum* inquires, *quam ad nos Epistolam scriberes, libellos meos in manus tuas venisse testaris, et idcirco non habuisse spatium ex otio respondendi*. Atque si meditat in nos paratusque dixisses, fulmina jacere, non crimina videreris. Minime autem adhibuit fidem : quin neque ab eo scripta sua legi biduo potuisse, contendit. Sed hæc alibi. Ruffinus angustiis sive bidui, sive dierum paulo plurium pressus, cum reponere adversario per singulas criminationes non posset, suos ipsos libros, quos Noster refutaverat nondum acceptos (illa videlicet summa usus, de qua paulo ante diximus) ad eum perferendos eidem negotiatori illuc redeunti dedit, adjuncta Epistola, ut mox videbimus, conviciorum omne genus et minarum referta. *Etque Noli*, inquit, *multo auro redimere notarium meum, sicut amici tui* (Eusebius Crenonensis) *de meis Periarchon schedulis, nondum ad purum digestis fecerunt, ut facilius falsare possent, quod aut nullus haberet, aut admodum pauci*. *Gratis a me missum suscipe codicem, quem censu magno cuperes comparatum*. De hisdem et Noster loquitur Epistola CII. ad Augustinum, *Misit mihi temeritate solita sua maledicta Calpurnius cognomento Lanarius, quæ ad Africam quoque studio ejus didici pervenisse*, etc. Satis quippe sibi vindictarum Presbyter Aquileiensis in his positum libris existimabat, ut eos quaquaversum mitteret, et nihil sibi ab æmulis metuendum putaret.

V. Sed ipsam quam adtexuit Epistolam, et proprie Hieronymianis dudum acceptis Libris opposuit, operæ pretium est nosse. Quamquam enim jamdiu olim intercidit, ut neque Gennadius cam in Catalogo suo recenseat, satis ex his tamen, quæ passim ex ea Sanctus Pater recitat, innotescit. Initio increpat eum Ruffinus et commonet, ne offensioni esse Christianis concertatione hac sua pergat, ne rixando invicem, mortem aliis animæ inferant. *Ad me*, inquit Noster, *Epistolam scribis, ut me commoneas, et emendatum velis, ne cæteris scandalum faciat, et aliis furentibus, jugulentur alii*. Sensim vero stimulis irarum agitatus,

ut deterreat eum metu a scribendo, vitam interminatur : petitque facti poenas conviciis et turpibus probris, quæ gravissima in S. Doctorem jacit. Specimen ex his cape, singula enim commemorare nos pudet. Postquam illum ironice, *Philosophum, Rhetorem, Grammaticum, Dialecticum, Hebræum, Græcum, Latinum, trilinguem* dixisset, Tu, subdit, *qui tot disciplinarum oculis vigilas, quomodo venia donandus es, si erraveris, et non perpetuo pudoris silentio contendus?* Item, *Imitari te volui, sed refestinate eo qui ad te remeabat, malui paucis ad te, quam ad alios pro tuis maledictis latius scribere. Superflua mihi reprehensio fuit in paucis, quæ professa tibi habetur in omnibus.* Et paulo post, *En tibi dico : quæso quis tibi permiserit, ut in commentariis tuis quædam de Origene, quædam de Apollinario, quædam de te ipso scriberes, et non de Origene totum, aut ex te, aut ex alio. Denique, Habeant ultra aliquid, quo nervos tuæ loquacitatis intendas? Et indignaris, si pulde te loqui arguam, quum Comædiarum turpitudines, et scortorum amatorumque ludicra Ecclesiasticus scriptor assumas. Minas quod spectat, non ipsa eas quidem Ruffini verba, sed Hieronymi identidem exprobrantis testantur. In ultima, inquit, parte Epistolæ denuntiata morte me deterres, ne audeam respondere. Et mortem minaris... minaris interitum, nisi tacuero. Denique, Terres me gladiis tuis, et accusationem non jam Ecclesiasticam, sed tribunalium comminaris... si aliter creditis, quid vultis occidere? An qui a vobis disenserit, occidendus est?* et similia his alia pleraque, quæ commemorare longum est.

VI. Tum vero Hieronymus, quem tantum aberat, ut minitantis æmuli verba deterrent, quin potius animos ad Christianam proferendam doctrinam adderent, vix dum accepta Ruffiniana Epistola, stilum in eam, si unquam alios animosæ acuit, et proprium Librum, qui tertius Apologiæ suæ inscribitur, edit. Præcipuas quas et prioribus quidem Libris abs se criminationes repulerat, hoc iterum diluit, et in adversarium ita retorquet, ut nullum ei reliquum per-fugium faciat. Epistolam vero istam proprie sibi refutandam sumit, ejusque particulis sensim atque ex ordine recitatis, responsionem suam verissimam quidem, sed et acri perfusam aceto subnectit. Illud quod Ruffinus causabatur (unum enim quod maxime propositam historiam spectat, delibare liceat) de bidui angustiis sibi ad respondendum concessis, ita excipit, *Quo, ait, tibi credit homini veracissimo, ut negotiator Orientalium mercium, qui et hinc deportata vendere necesse habebat, et ibi emere quæ huc rursus adbeheret, biduum tantum Aquileie fuerit, ut raptim et extempore contra nos dictare Epistolam cogeres? Libri enim tui, quos limasti per triennium, discretiores sunt?* Et paucis interjectis : *Tam apertum temporis mendacium est, ut non dicam respondere, sed legere biduo mea scripta non potueris. Ex quo apparet te illam Epistolam, aut pluribus diebus scripsisse, aut si simultanea dictatio est, nunquam te esse negligentem, qui quum extemporalis talis sis, meditatus deterior fueris.* Hujus cum ingenii, tum eloquentiæ reliquus omnis contextus est

Libri, haud sane brevioris quam præcedentes duo nec minus expoliti.

Quod proptere tamen adornatus ab eo fuerit, et facile una aut altera elucubratione, quod in more positum illi erat, series ipsa rerum persuadet. Enimvero priores ejus duo Libri ante hujusmet anni Aprilis mensem; nisi rationibus ab eorum conditu subducendis fallimur, ad Ruffinum deferri potuisse, minime videntur; imo vero par credere est, eodem illo mense fere medio demum adlatos. Illic vero statim post biduum, sive, quod Noster contendit, et propius accedit ad veri speciem, post plures dies, salmineam Epistolam illam intorsit. Certe ut hæc Hieronymo redderetur, uno adhuc ferme intermedio mense opus fuit, tanto interjacente Aquileia ad Bithleem maris spatio. Devenimus jam itaque ad Maii fere exitum, quo certo temporis termino serius differre S. Patris responsum non licet. Etenim Anastasium putabat ille adhuc in vivis agere, quod nuntium de recenti ejus obitu nondum accepisset. *Esto, inquit, num. 21. præteriti anni Epistolam finxerim: recentia ad Orientem scripta (Epistola scilicet Anastasii ad Joannem de Ruffino) quis misit? in quibus Papa Anastasius tantis te ornat floribus, ut cum ea legeris, magis te velle defendere incipias, quam nos accusare.* Et, *Siricii jam in Domino dormientis profers Epistolam, videntis Anastasii dicta contemnis?* Fato autem functus est Anastasius, non superioris anni Decembris mense (ut Pagius, Papebrochius, Constantius et nos quoque olim existimabamus aliis ducti argumentis), sed hocmet anno, V. Kalendas Maias, quo memoria ejus die in plerisque tabulis Ecclesiasticis consignatur. Baronius quoque ita olim rationes suas inivit, quas deinde pluribus Tillemontius confirmavit, atque hæc demum Hieronymianarum scriptio-narum series evincit. Porro ejus obitus Hieronymum latuisse unius fere mensis spatio, idque ut multum, potuit: diutius certe ut latuerit nemo sibi in animum inducat. Ut serius igitur hoc ipso exeunte mense Maio adversus Ruffinum librum S. Patris elucubravit: acceperit vero ante dies admodum paucos adversarii Epistolam, quam refutatam ibat.

VII. Fuerat vero eadem illa, ut videtur, occasione, certe antequam scriberet, rogatus ab Aquileiensi Antistite Sancto Chromatio, apud quem Ruffinus morabatur, ut concertationi huic tantæ, quæ cœperat jam Christianorum animis offendiculo esse, finem imponeret. Cui quidem summo viro, et sibi cum primis vetere amicitia juncto, laudibus autem pietatis atque eruditionis ornatissimo, morem gerere voluisset, idque se animo habuisse, jurejurando testatus est. Sed ubi sensit, deterreri se minis a respondendo, ut crimen fateri videretur, quod abs se repellere destitisset, committere omnino non potuit, ut finæ periclitaretur, sequæ invitum cogi ad scribendum, doluit. *Testem, inquit sub hujusmet Libri initium, invoco Jesum conscientiæ meæ, qui et has litteras, et tuam Epistolam judicaturus est, me ad Communionem Sancti Pape Chromatii voluisse reticere, et finem*

facere simulatum, et vincere in bono malum. Sed quia minaris interitum, nisi tacuero, respondere compellor, ne videar tacendo crimen agnoscere et lenitatem meam malæ conscientie crimen interpreteris. Præterquam quod multa nimium et gravia erant, quæ contra se in vulgus maledicta et Romæ, in Italia, et per Dalmatiæ insulas Ruffiniani tabellarii, quos Noster Cereales et Anabasis vocat, disseminabant, ut volantia toto orbe jacula falsitatis, clypeo veritatis excipere, non æquum modo, sed et necessum illi esse.

VIII. Ex horum fuit numero commentitia quædam Epistola sub Sancti Doctoris nomine prolata in vulgus, in qua pœnitere se admodum testaretur, quod fucum sibi fieri pössus in adolescentia ab Hebræis, eorum volumina, quæ nihil veri continerent, Latine refuderit. Eusebius Cremonensis eam se reperisse primum significaverat *apud Afros Episcopos, qui propter Ecclesiasticas causas ad Comitatum venerant.* Facile hi fuerint, quos legatos misit Carthaginense Concilium Idibus Septembris superioris proxime anni habitum, ad Imperatorem, ut ab eo peterent in Ecclesia manumittendi facultatem, quam et concessam fuisse, ex Augustino discimus. Fontaninus *Limen Comitatum appellari Aulam Pontificiam* sentit, et Legatos dici autumat ad Anastasium, de nomine Venerium Mediolanensem, et Honorium Augustum, qui Epistolam illam secum ex Africa attulerint. Utut habuerit se res, hoc *audiens obstupuit S. Pater*: multo autem magis demiratus est, quum *idipsum multorum ex Urbe fratrum scripta docuerunt, sciscitantium an ita se haberet, et a quo ipsa Epistola disseminata esset in vulgus, lacrymabiliter indicantium.* Neque vero difficile ei fuit, ex stilo et forma eloquii, quam sibi fuisset falso afflicta, demonstrare, deque ejus Auctore doli Ruffino conjecturam facere. Calumnia tamen scriptionis sublata, nomini falsarii pepercit. Sed illo, ut se culpari intellexit, etiam atque etiam obtestante, nihil abs se tale unquam perpetratum, hanc ipsam videtur S. Pater excusationem ei culpæ vertere, qui perperam putarit sibi dictum, quod nominatim nemini fuerat imputatum. Nec ideo eum tamen ab hujus conscientia criminis liberavit. Quo, inquit hoc III. Libro, *non erumpat semel effrenata audacia? Aliorum crimen sibi objecit, ut nos finxisse videamur. Quod absque nomine dictum est, in se dictum refert: et purgans externa peccata, tantum de sua securus est innocentia. Jurat enim se Epistolam non scripsisse ad Afros sub nomine meo, in qua confitear inductum me a Judæis mendacia transtulisse: et mittit libros eadem omnia continentes, quæ nescisse se jurat. Et miror quomodo prudentia ejus cum alterius nequitia convenerit, ut quod alius in Africa mentitus est, hic concorditer verum diceret, stilique ejus elegantiam nescio quis imperitus posset imitari.* Sin itaque eam ipse Epistolam Ruffinus commentus est, sed ex ejus schola aliquis, ipso haud tamen intraco; non injuria tamen abs Hieronymo alterutra ex parte reus agitur.

IX. Hac certe de causa videtur S. Pater, ut suos hic Liber quantocius in Africam deferretur, sate-

gisse: nimirum ut apud eos maxime calumniam tolleret, apud quos conflata potissimum dicebatur. Scripsit itaque hoc ipso anno ad Augustinum Epist. CII. eique hujusmet libelli sui exemplar adtexuit. Et, *Misit, ait, mihi temeritate solita sua maledicta Calpurnius cognomento Lanarius, quæ ad Africam quoque studio ejus didici pervenisse: atque breviter ex parte respondi, et libelli ejus vobis misi exemplaria, latius opus* (prioris nempe duos Apologiæ suæ libros) *quum opportunum fuerit, primo missurus tempore: in quo illud cavi, ne existimationem læderem Christianam, sed tantum ut delirantis imperitique mendacium ac vecordiam confutarem.* Sed et alii sunt ad Augustinum, atque hujus ad Hieronymum Epistolæ hæcmet anno scriptæ, quas tamen subsequenti proxime Capitulo, ad cuius proprie contextum pertinent, recensebimus. Porro autem alia est, quæ argumento ex ejus contentions historia ducto, per id temporis, sive isto aut subsequenti proxime anno scripta Epistola videatur, aut certe cum chronicis certioribus notis careat, referri hæc non incongrue, serie rerum consentiente, possit. Eximia ea est inter omnes divinæ Scripturæ exegeticæ ad Sunniam et Fretellam, viros et Getarum, ut volunt, genere sacræ eruditionis percipidos, qua ad singulas sibi propositas ex Psalmis quæstiones respondens Hieronymus docet, quænam sit inter variantes lectiones Græcas atque Latinas cæteris præferenda, quæque propius ad Hebraicum fontem accedat. Animadvertimus in chronologicis ad eam Notis, nimirum eam videri ante Apologeticos contra Ruffinum libros elucubratam, siquidem objicienti æmulo, quod Septuaginta Interpretes contempti haberet, inque eorum suggillationem novam ex Hebræo translationem adornasset, hanc utique S. Pater elucubrationem suam opposuisset, in qua bene Interpretes illi continuo audiunt, potiusquam, hoc luculentissimo pro se testimonio prætermisso, exempla sui erga illos studii hinc inde ex aliis suis operibus emendicaret. Addidimus, nec multo post videri differendam: siquidem ejus quædam mentio haberetur in subsequente ad Lætam, ubi dicuntur *Hunni Psalterium discere*; quæ quidem Epistola hincmet anno, aut initio subsequentis 403 assignanda videbatur. Sed ea nunc prætermissa conjectura, alia ex parte arguimus, fuisse recens a profligato Ruffino scriptam. Ex eo scilicet ubi ad Psalmum 88, illum ironice appellat, *desertissimum istius temporis interpretem*, qui Græcum ἔρως ἠὲν ἠὲν verterit *annihilasti, vel annullasti, vel nullificasti, et si qua alia possunt inveniri apud imperitos portenta verborum.* Atque hæc tamen omnia, quantum assequi conjectura licet, argumenta proponimus, non pro certis urgemus.

Verum Epistolam ad Lætam quod spectat, utique eam nunc malim ad præcedentem 401 revocare, quam in sequentem 403 vixidum licet inchoatum differre: tametsi huic illam in Epistolarum recensione affixerim. Nusperat Læta Toxtio, S. Paulæ filio, ex quo et filiam, quæ de aviæ nomine Paula nuncupata est junior, suscepit. Hanc S. Pater, quibus

instantis jam inde ab ipsis incunabulis ad Christianam pietatem informari oporteat, docet: cumque avus ejus Albinus adhuc in Ethnicismo perstaret, inter alia quæ magnifice extollit, rei Christianæ decora atque incrementa, illud memorat, ex quo epocha scriptionis satis inuotescit. *Marnas, ait, Gazæ luget inclusus, et conversionem templi jugiter pertimescit.* Scilicet ex S. Porphyrii ejusdem urbis Episcopi Vita comperit est, fuisse anno 398 missum Diaconum ad Imperatorem Arcadium, qui Templi ejus profanos cultus curaret prohibendos. Tum lata Lex est hoc eodem anno in eam rem, ejusque auctoritate haud multo post ipsæ Templi fores obseratæ, et *Marnas inclusus.* Triennio post nova Porphyrii legatione impetratum, ut penitus deleretur, reque ipsa Templum absumptum incendio est. Cum ait itaque S. Pater, Marnam eversionem sui jugiter pertimescere, jam illa Idolio clades imminet: quæ magis utique anni 401, ad finem ut libet properantis, quam proxime insequentis est nota. Idem quoque tempus non obscure indicat, quibus subsequitur verbis, *Getarum rutilus et flavus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria, et ideo forsitan contra nos æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.* Nimirum ab anno 400 irruperunt in Italiam Gothi, aliasque deinceps provincias pervasere, strenue contra Romanum exercitum, nec sane improspere dimicantes, ut eorum temporum historix produunt.

CAPUT XXXIII.

- I. Contentio Hieronymum inter atque Augustinum obarritur. II. Epistolæ hac super re ultro citroque missæ.
- III. Commentarius in Abdiam huic temporis adseritur.
- IV. Sancta Paula diem obit, cujus laudes Sanctus Pater Epistola ad Eustochium prosequitur.
- V. Tum hujus anni Paschalem Theophiti Latine vertit.
- VI. Itemque Regulam Sancti Pachonii, ejusque ut et Theodorici Epistolas, et verba mystica.
- VII. Iterum adversus Augustinum disputat.
- VIII. Eorum hac super re Epistolæ.
- IX. Scripta alia quædam Sancti Patris, quæ huc pertinent.

I. Olim Augustinus, quum Hieronymi Commentarios in Epistolam ad Galatas legeret, eo loco offensus nonnihil est, quo *Apostolus Petrus a perniciosâ simulatione revocatur.* Quippe Noster haud vere Paulum Petro Apostolo restituisse, autumat; sed factum utriusque dispensatione, ut *Paulus nova bellator vetus usus arte pugnandi, dispensationem Petri, qua Judæos salvari cupiebat, nova ipse contradictionis dispensatione corrigeret; et resisteret ei in faciem, non arguens propositum, sed quasi in publico contradicens, ut ex eo quod Paulus eum arguens resistebat, hi qui crediderant ex Gentibus, servarentur.* Hæc Hipponensem Episcopum expositio movit, qui *patrocinium mendacii susceptum* simulatione illa existimabat, et *exitiosissime credi in sanctis Libris haberi mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos.* Volebat autem ipse alia ratione solvi difficultatem: videlicet ut Paulus Legalia tunc, modo

quodam non necessario, observans, minime erraverit, sed Petrum quidem, qui ad ea Gentiles exemplo suo adigeret, jure reprehenderit. Hæc erat contentionis materies tota, aut certe præcipua, quæ multo quidem antea oborta, hoc demum tempore agitari inter eos cœpit.

II. Ut autem cum stomachi etiam significatione aliquando Hieronymus responderet, in causa fuit Epistolarum quæ ultro citroque missæ sunt, improspera, ut ita dicam, fortuna. Scripserat primum de ea re Augustinus jam inde ab anno 394 Epistolam, quæ Hieronymo tamen nunquam est reddita. Tum aliam post ferme triennium ad eundem dedit, quæ diu multumque per Urbem perque Italiam vagata, quum et cauere illum *καλινοδία* supra ejus expositione loci juberet, et satis esset proluxa, ansam rumoris fecit, ut librum adversus Hieronymum composuisse, et misisse Romam Sanctus Antistes diceretur. Ipse autem, qui undenam ortus hic esset vulgi sermo ignorabat, tertias superiore proxime anno 402 litteras ad Nostrum scripsit, asseverans, id se nequaquam fecisse quod dicebatur, nec ullo pacto ejus, quem ex animo suspiceret, atque amaret, velle offensionem incurrere. Hæc demum Hieronymo redditæ sunt eodem illo anno, cum esset Asterius Hypodiaconus *in ipso professionis articulo* e Palæstina in Africam. Hujus itaque occasione rescribit Noster, bene habere hoc quidem, quod *satisfactis, ait, te contra parvitatem meam librum Romam non misisse.* Sed Epistolæ (subdit) *cujusdam quasi ad me scriptæ per fratrem nostrum Sysinnium Diaconum, hic exemplaria pervenerunt: in qua hortaris me ut καλινοδία super quodam Apostoli capitulo canam.* Quamobrem subiratus addit, *Ego simpliciter fateor dignationi tuæ, licet stylus et επιχειρήματα tua mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi, ne forte me respondente, læsus juste expostulares, quod probare ante debuissem, tuum esse sermonem, et sic rescribere, etc.* Verum hæc quoque Sancti Patris Epistola Asterio credita, satis multo post tempore, quam debuisset, in Africam delata est. Intereadum enim perbreve aliam ad eundem scripsit, qua Præsidium illi commendat, et salvere jubet Alypium (*Epist. CIII*): cætera observantiæ atque amoris significationibus abundat. De hac nos multa in chronologicis Notis, quæ huc ut referas, auctores sumus. Sed et Augustinus interim Hieronymiani ejus responsi nescius duas alias ad eum dedit, quarum prior dicitur intercidisse temporum injuria: altera illa est, cujus initium, *Ex quo cœpi ad te scribere: cui et superiorum Epistolarum suarum exempla adtexuit, quod ea utrum accepisset ille, neene, ignoraret.* In hac autem novæ concertationi ansam præbuit, dum libere profitetur, minime probari sibi ejus studium in vertendis ex Hebræo Scripturis, quæ vocem novitate, aduetos veteri Translationi ex Græco sæpius percelleret. Quare et tumultum eum admonet excitari apud Africam in Oænsi Ecclesia occasione vocis *hederæ*, quam pro *cucurbita*, ut vetus ferebat Versio,

in quodam Jonæ loco usurpaverat. Hieronymus priori ex his, ei videlicet quæ desideratur, respondet Epistola in recensione nostra CV. multo quidem acrius quam antea expostulans cum Hipponensi Episcopo injuriam, qua impetitum se reputabat, et non simplici animo sparsa in vulgus Epistola lacessitum ad respondendum. Si, inquit, mea cominus dicta reprehendas, et rationem scriptorum expetas, et quæ scripserim emendare compellas, et ad *καλιμαδία* provocas, et oculos mihi reddas, in hoc læditur amicitia, in hoc necessitudinis jura violantur. Admiscet quasdam tamen interdum benevolentiae significationes; utque intelligas maximam iis qui creditas sibi litteras, aut serius, aut numquam reddiderunt, concertationis culpam voluisse tribuere, hoc sine concludit: *Hoc a me rogatus observa, ut quidquid mihi scripseris, ad me primum facias pervenire.* Sux Translationis ex Hebræo nec meminit quidem: id quod manifesto iudicio est, nondum hoc anno 403, quo hæc scribebat, ut in chronologicis Notis evicimus, accepisse eum alteram Augustini ea de re Epistolam, quam dudum laudavimus. Hac sine eorum stetit controversia hæc anno, quæ subsequenti 404 exeunte renovata quidem est paulo majore contentione animi, sed salva tamen, qua certatum inter eos est, caritate.

III. Interea temporis S. Patrem in Abdiam Commentarios elucubrasset, persuasum nobis est, contra atque eruditi plerique omnes sentiunt, qui eum Prophetam quinquennio ante, eodem scilicet atque Jonas tempore explicatum contendunt. Et sane Sanctus ipse Auctor Præfatione Libri III. in Amos, Tertio, inquit, post longi temporis silentium Abdiam et Jonam tibi (Pammachi) imperantii edisserui. Verum, quo sit locus iste intellectu accipiendus atque interpretandus, ut sibi et cum cæteris hac de re testimoniis constet, nec præfixa Tomo VI. Præfatione, quantum assequi conjectando licuit, ostendimus. Palnare autem argumentum ad eam elucubrationem huc retrahendam, ex ipsiusmet verbis S. Patris in Prologo ad eum Prophetam excudimus, ut rationes ita ipse colligere videatur. Quippe se ait, ab eo tempore quo specimen hujus Commentarii in adolescentia tentaverat, triginta jam annos in Dei opere ab labore sudasse. Tum illud declarat quale tempus fuerit, quando, inquiens, egressi, mi Pammachi, scholam Rhetorum, diverso studio ferebamur: quando ego, et Heliodorus carissimus pariter habitare Chalcidis solitudinem nitebamur. Hæc vero satis perspicue trecentiesimum septuagesimum tertium annum, aut insequentem notant, quod ex toto Vitæ Hieronymianæ contextu, et præscripta Capite IX. historia compertum est. Neque sane alio commodius, quam quo tempore diversatus est Antiochiæ, proxime antequam in Chalcidis solitudinem se reciperet, et recens ab auditis Ecclesiasticis Tractatoribus, atque Apollinario cumprimis; ingenii ille sui periculum locerit. His igitur trecentis septuaginta tribus annis si alios triginta addideris, qui ab illo, ut ipse ait, puerilis ingenii præludio, ad hoc maturæ senectutis opus intercesserunt, hunc teneas 403, quo

facile anno elaboratum eum Commentarium existimamus. Notum porro quod de priore illo rudimento narrat S. Pater: *Sperabam in scriniois lutere quod scripseram, et ingenio mei primam temeritatem ignibus voveram, quam subito de Italia affertur exemplar a quodam juvene tot annis, quot et ego quondam scripseram, laudante opusculum meum. Fateor, miratus sum, quod quantumvis aliquis male scripserit, invenit similem lectorem sui. Ille prædicabat, ego erubescerebam: ille quasi mysticos intellectus ferebat ad cælum, ego demisso capite confiteri meum pudorem prohibebat (In Præfat.).* Factum deinde ex Auctoris voto, ac hoc novo Commentario, numeris omnibus absoluto, in vulgus prodeunte, specimen illud sensim evanuerit, et jamdiu olim exciderit.

IV. Initio subsequentis anni S. Paula, summum Hieronymi præsidium et decus, diem obit. Tunc enimvero attritæ ejus res sunt, totusque ille sanctorum cœtus, et maxime Virginum læcæpæt ita dicam, sua caruit. Fuerat admirabilis sanctitatis femina, ut generis nobilitate atque opibus nulli secunda, ita et Christianarum virtutum laudibus supra quam verbis complecti quis possit, longe nobilissima: Toxotlo marito, cui quinque liberos ediderat, defuncto, totam se Deo vovit, et in sancto Proposito diu Romæ vixit. Deinde domus opulentissimæ omnibus pene divitiis in pauperes erogatis, non liberorum, non familiarum, non possessionum, non alicujus rei, quæ ad sæculum pertinent, memior, in Orientem et Loca sancta, navigavit, amorem filiorum, majore in Deum amore contemnens, et in sola Eustochio filia, quæ et Propositi et navigationis ejus comes erat, acquiescens. Perlustratis diligentissime sacris Judææ locis, atque Ægypti monasteriis Alexandriam usque una cum Hieronymo, in Bethleem juxta Domini præsepe cœdit. Ibi exstructo Virginum monasterio, vix dictu est, quibus se institutis ad Angelicæ Vitæ instar composuerit, quibusque alias exemplis ac præceptis rexerit. Inter cumulatissimas virtutes ejus eminebat quoddammodo humilitas, quæ prima Christianorum est virtus: tum patientia pene singularis: contemptus sæculi supra admirabilitatem: in pauperes autem atque ægrotos caritas et liberalitas quæ excedebat modum. His accedebat jugis Scripturarum meditatio, non sine linguarum Græcæ atque Hebræicæ peritia, quo veluti cælesti pabulo vitam animæ sustentabat, et ad pietatem, divinarumque rerum scientiam in dies magis proficiebat. Sæpius morbis tentata, et fracto senili, debilitatoque corpusculo, tantæ continentie fuit, ut neque tunc denum, quum jamjam animam ageret, ob refractionem corporis vino uti voluerit, neque ad id exorari se passa sit sive a Medicis, sive ab Hieronymo, seu denique ab eo, qui tunc aderat, summæ cum pietatis tum dignitatis viro Beato Papa Epiphanio. Denique virtutum, quæ pene superant fidem, laudibus cummulata, Dormiuit Sancta et Beata Paula, septimo Kalendas Februarias, tertia Sabbathi post Solis occubitum. Sepulta est quinto Calendarum eorundem, Honorii Augusto sexties et Aristonæto Consulibus. Vixit in sancto

Proposito Romæ annos quatuordecim, Bethleem annos viginti. Omne vitæ tempus implevit annis quinquaginta sex, mensibus octo, diebus viginti et uno.

Hieronymus qui tot ejus virtutum perpetuus fuerat admirator, tanto animi mœrore percussus est, ut cum prosequi eam laudibus vellet, idque Eustochio filix recepisset, aliquandiu præ dolore non valuerit. *Nam, inquit, quotiescumque stilum figere volui, et opus exarare promissum, toties obriguerunt digiti, cecidit manus, sensus elanguit.* Prosequuntur est tamen, et satis magnifice haud multo post, dictato ad duas lucubraticulas libro, sive Epistola, cui titulum de more *Epitaphium* fecit, eidemque Virgini Eustochio inscripsit. Ea nunc locum tenet in recensione nostra CVIII. ex qua illæ etiam pleræque omnes desumptæ sunt, quas modo S. Matronæ laudes delibavimus.

V. Dedimus quoque illi inter hujus anni scripta priorem locum : cum enim mense Januario, vixiduum medium prætergresso, Sancta illa femina avolarit ad superiores, minime visum est verosimile, Hieronymum postquam ab illo infortunio respicit, atque animum appellere ad scribendum potuit, ab alia exorsum scriptione quam ista, quæ et cordi ipsi erat quam quod maxime, et memoriæ illius grati quoque animi sensu debita. Ab hoc itaque persoluto officio, gradum ad alia consignanda literis fecit. Et primo quidem Theophili Paschalem Epistolam in Latinum vertit : Paschalem, inquam, hujus anni 404, quod ex Paschatis denuntiatione *vicesima secunda die mensis Pharmuthi*, id est, decima octava Aprilis, compertum est. Numerum ea obtinet in recensione nostra centesimum : cujus rei causas in Chronologicis Notis adjecimus. Tertia autem ex his est, quas S. Pater Latine explicavit : nam quartam qui dicunt, et cum Baronio contendunt, superioris quoque proxime anni Paschalem ab Hieronymo Latine redditam (quæ minime tamen ætatem tulerit) toto cælo errant. Sed ipsum præstat S. Interpretem hac de re loquentem audire Epistola XCIX. qua se apud Theophilum excusat, quod scrius eam verterit, impeditus partim obitu Paulæ, partim suo morbo. *Ex eo, inquit, tempore, quo Beatitudinis tuæ accepi Epistolam, juncto Paschali libro, usque in præsentem diem, ita et mœrore luctus et sollicitudine, ac diversis super statu Ecclesiæ hinc inde rumoribus exagitatus sum, ut vix volumen tuum potuerim in Latinum sermonem vertere. Optime enim nosti juxta veterem sententiam, Non esse tristis eloquentiam : maxime si ad ægritudinem animi accesserit corporis ægritudo. Et hanc ipsam Epistolam febre æstuans, et quintum jam diem decumbens lectulo, nimia festinatione dictavi : breviter indicans Beatitudini tuæ, magnum me laborem sustinuisse in translatione ejus, ut omnes sententias pari venustate transferrem, etc.* Et paulo post : *Unde obsecro, ignoscas tarditati etiam mææ : ita enim sanctæ et venerabilis Paulæ confectus sum dormitione, ut absque translatione hujus libri, usque in præsentem diem nihil aliud divini operis scripserim. Perdidimus enim, ut ipse nosti, repente solatium, quod (ut conscientiæ nostræ tibi sitis est Dominus)*

non ad proprias ducimus necessitates, sed ad Sanctorum refrigeria, quibus illa sollicitè serviebat.

VI. Aliquandiu post, eodem hoc tamen anno, et nondum obducta, quam Paulæ obitus infixerat, plaga, aliam de Græco translationem adornavit. Habuit vero ita se res. Cum in Thebaidis cœnobiis, et in Monasterio Melencæ habitarent plurimi Latinorum, qui ignorabant Ægyptiacam Græcumque sermonem, quo Pachomii et Theodori et Orsiesii Præcepta conscripta sunt, homo Dei quidam Silvanus Presbyter libros, quibus illa continebantur, de Ægyptiaca jam versos in Græcam linguam, ad Hieronymum direxit, etiam atque etiam flagitans, ut Latina de Græcis redderet. Misit etiam ob eam causam Leontium Presbyterum et cæteros cum eo fratres, qui opus urgerent, et fere per momenta exigent. Accepit itaque Noster provinciam, et Græcam illam versionem in Latinum refundens, accito Notario dictavit, *ut tantis, ut ait, viris imperantibus, nedum rogantibus obediret.* Absoluto operi Præfationem de suo præfixit, in qua tum hactenus delibata, tum pleræque alia rei adjuncta explicat, quibus et de ipsa temporis notatione admonemur. Initio significat jamdudum esse, ex quo stilum non exerceat : quem adeo comparat *acuto gladio et levigato, qui si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, et splendorem pristini decoris amittit.* Unde, subdit, *et ego mærens super dormitione sanctæ et venerabilis Paulæ... quod multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi, etc.* Tum inter alias abs se adornatæ versionis causas, hanc addit : *ut bono, ut aiunt, auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studiis, et sanctæ femine (Paulæ) refrigerans animam, quæ Monasteriorum semper amore flagravit.* Itemque istas, ut *Venerabilis quoque virgo filia ejus Eustochium haberet quod Sororibus agendum tribueret : nostrique Fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium Monachorum exempla sequerentur.* Pergit adeo quædam commemorans præcipua, ut videntur, eorum vitæ instituta : quibus cursim expositis de Corneli et Syri, qui tunc etiam ultra centum et decem annos ad vivere dicebatur, Alphabeto mystico atque Epistolis loquentur, ea se profiteretur, ut repererat, elementa posuisse : cætera imitatum simplicitatem Ægyptii sermonis, ne viros Apostolicos, et totos gratiæ spiritualis, sermo Rhetoricus immutaret. Denique alia quæ in eorum Tractatibus continentur, consulto prætermisisse, quod in suis Auctoribus discenda, et ab ipsis repetenda fontibus viderentur. Hanc nos Regulam Hieronymianorum Collectioni operum primi ad censuimus.

VII. Vergente hoc anno ad exitum instaurata est quæstio cum Augustino. Asterius hypodiaconus, cui Noster literas ad illum perferendas dederat, una cum altera adversus Rufinum Apologia, pervenit demum in Africam, cum jam duas alias superius memoratas Hipponensis Episcopus Hieronymianæ responsionis inscius ad eum misisset. Ilas vero ubi accepit, subitum sibi atque offensum S. Patris animum intellexit. Quamobrem studiose egit, ut recolligeret : et prima data occasione proficiscentium in Palestinam amico-

rum, Epistolam ad illum scripsit in recensione nostra CX. qua omnibus observantiæ significationibus adversus eum loquitur, et quam potest demississime atque subjectissime demulcere studet. Addit et quædam de illius contra Rufinum Apologia, quam s. testatur accepisse, et quum ferre in alterutram partem iudicium nolit, dolere tamen vehementer, ac deplorare miseras rerum humanarum vices, quando tantos viros et quondam amicissimos potuit tam amarulenta discordia facere invisos. Aliam huic Epistolæ adiunxit ad Præsidium, eum scilicet quem sibi quondam Hieronymus commendaverat, atque illi sciebat veterem amicitiam junctum. Rogatque enixe, ut eam Epistolam eidem Hieronymo reddendam curet, sibi que illum additis suis etiam literis placet. In eam rem adnectit et Hieronymianarum literarum et suæmet responsionis exempla, ut scribendi ad eum rationem penitus noscat : simulque obsecrat, ut si quid minus ei probaretur abs se scriptum ad sanctum senem, id sibi quamprimum, quo posset emendare, significaret.

VIII. Noster autem, intereadum hæc geruntur, certe nondum acceptis hiisce postremis Augustini literis, respondet ad quas sibi in præcedentibus moverat quæstiones una omnes Epistola, quæ in nostra recensione locum CXII. tenet. Et quamquam frater, qui in Africam trajecturus erat, festinans, *pene in procinctu, et tumultuario respondere sermone* se dicit, *non maturitate scribentis, sed dictantis temeritate* : haud sibi tamen susque rationibus deest. Satisfacit primo de libri titulo, quo *Scriptores Ecclesiasticos tam Græcos quam Latinos enumeraverat*, eumque *vel de illustribus Viris, vel proprie de Scriptoribus Ecclesiasticis* docet esse, non *Epitaphium*, ut illi fuerat a quodam fratre perperam significatum. Secundo loco suam de Petro reprehensio a Paulo sententiam vindicare ab officiosi mendacii criminatione nititur, et quam potest, strenue tuetur cum veterum Tractatorum auctoritate, tum exemplis Scripturarum et sacræ historiæ contextu, denique rationum momentis, quæ utrinque excudit, atque urget. Quin etiam suggillat sæpe acriter oppositam Augustini expositionem, *Et quis, ait, hoc Christianorum patienter audiat, quod in tua Epistola continetur : « Judæus erat Paulus, Christianus autem factus non Judæorum sacramenta reliquerat.... ideoque suscepit celebranda ea quum jam Christi esset Apostolus, ut doceret non esse perniciosas his, qui ea vellent, sicut a parentibus per Legem acceperant, custodire. »* Docet eum deinde quid rei sit, quod in priore Translatione sua ex Septuaginta, asteriscos atque obelos posuerit : alteram enim ex Hebræo fonte derivatam, defendit perquam erudite, suamque operam in ea elaboranda nedum bene collocatam, sed et necessariam ad Judæorum expugnandam perfidiam, et Ecclesiis maxime profuturam evincit. Denique fabulam de *hedera pro cucurbita apud Jonam exsufflat*, nec moratur populi imperitiam, qui seditionem ea de causa excitavit, nec Judæorum ejus urbis malitiam, quæ *hoc edixerint esse in suis volensibus, quod in Græcis et Latinis continebatur*, cum

manifesto demonstrat, quod in Hebræo est *Ciceion*, non aliud rectius quam *hederam* posse verti. Petit in fine Epistolæ, ut per eum sibi quieto esse, jam emerito seni, liceat. Hæc nos paulo fusius persecuti sumus, quod e re nostra videretur, Hieronymianæ concertationis, et stomacii causæ quæ fuerint, ut scires. Qui tamen haud dubium est, quin animos recolleret, statim atque Augustini Epistolam supra memoratam, tot demissionis atque obsequii testimoniis referlam accepit. Accepit vero paucos post dies : cui licet illa occasione haud responderit, factum sibi tamen ab eo satis, haud multo post significavit, cum redeunte e Palæstina in Africam Firmo, Sancti Præsulis necessario, Epistolam ad eum scripsit CXV. omnia præ se ferentem amoris ac benevolentiae signa : ut etiam excuset, quod liberius responderit, rogetque ut, omissis imposterum ejusmodi quæstionibus, amice secum in sacrarum Scripturarum campo versetur. Quod quidem addidit Augustino animos, ut offensiois Hieronymianæ jam securus, *illam de Petro reprehensio a Paulo quæstionem retractaret, et proluxa Epistola in nostra recensione CXVI. accuratius ei responderet, confirmans quod Petrus merito veraciterque reprehensus fuerit*. Cætera mirum, quam se demisse adversus eum gerat, veniam deprecatus, sicubi dictis incautioribus eum offenderit, atque excusans, quod nulla sua culpa prior illa Epistola per multorum manus obambularit, antequam ad eum perveniret. Hunc finem habuit celebris illa Hieronymum inter atque Augustinum disputatio, quos summa deinceps gratia et necessitudo intercessit. Annus trahebatur, cum finis concertationi impositus est, quadringentesimus quintus, ut ex chronologicis ad laudatam modo Augustini Epistolam Notis constat.

IX. Per id autem temporis quædam alia fuisse ab Hieronymo scriptis tradita, nihil est dubium. Et superiore quidem proximo anno admonitus a Ripario Tarraconensi Presbytero, quod Vigilantius doceret, Martyrum non esse colendos cineres, damnaretque solemnnes Fidelium ad eorum sepulcra vigilias, Epistolam ad illum scripsit in recensione nostra CIX. qua contra nefariam hæresim velitatur, et quasi præludit ad pugnam, offerens paratum se confutationi hominis, si ejus ad se libellos Sanctus Presbyter mittat. Ostendemus subsequenti sectione, ipsum Sancti Patris Tractatum contra Vigilantium anno elucubratum 406. In quo cum testetur ipse de se huculentissimis verbis, *de Vigilis et pernoctationibus in Basilicis Martyrum sæpe celebrandis, in Epistola, quam ante hoc ferme biennium Sancto Ripario Presbytero scripseram, respondi breviter* : nullus est dubitandi locus, subductis rationibus, quin hæc sit Epistola quarto supra quadringentesimum anno, adscribenda. Insequente 405, aliam scripsit, sive CXVII. ad libelli instar *ad Matrem et Filiam in Gallia commorantes*, qua id potissimum urget ac docet, viduis et virginibus vitandam esse domesticam consuetudinem eorum, unde sit periculum vel pudicitiae vel famæ. Retulerat ei nempe quidam frater e Gallia, *se habere sororem vir-*

ginem, matremque viduam, quæ in eadem urbe divisim habitarent cellulis, et vel ob hospitii solitudinem, vel ob custodiendas facultatulas, præsules sibi quosdam Clericos assumpsissent, ut majore dedecore jungerentur alienis, quam a se fuerant separatæ. Rogabat itaque Sanctum Patrem, ut eas corripere litteris suis, et ad concordiam revocaret. Quam cum ille subsisset provinciam, ejusque esset Epistola in vulgus edita, fucere qui fictam ab illo materiam dicerent, ut Rhetorica exaggeratione declamaret. Narrat objectum id sibi ipse Libro dudum laudato contra Vigilantium, quem diximus anno 406 elucubratum. Ne, inquit, rursum malignus Interpretes dicat fictam a me materiam, cui Rhetorica declamatione respondeam: sicut illum, quam scripsi ad Gallias Matris et filii inter se discordantes. Quibus satis manifesto innuit, recens hoc fuisse abs se opus adornatum: eoque magis si, quod eruditi passim existimant, malignus interpretes ille non alius est a Ruffino, qui cum nihil tale in libris Invectivarum objecerit, putandus sit, de oro postmodum blatterasse: hoc videlicet tempore, sive anno 404. aut insequenti, cui scriptionem illam affigimus.

CAPUT XXXIV.

I. Librum Theophili contra Sanctum Joannem Chrysostomum de Græco verit. II. Condit et Commentarios in Prophetas Zachariam et Malachiam: Oseam quoque, Joelem et Amosum. III. Scribit et Librum contra Vigilantium. IV. Tum ad Minervium et Alexandrum de verbis Apostoli, Omnes quidem dormiemus, etc. V. et in Daniele Commentarium. VI. Cæsus occasione criminationem gravissimam subit. VII. Ejusdem ad varios Epistolæ. VIII. Denique et Commentarius in Isaiam.

I. Epistola, quæ numerum in recensione nostra CXIII. obtinet, quod juncta hactenus fuerit cum subsequente in unum, continua orationis serie, Hieronymianorum operum Editoribus fraudi fuit, ejusque Scriptores Vitæ transversum egit. Sejunctimus nos contextum utriusque, et in duas tribuimus: quarum alteram potiore quidem sui parte mulctatam, Hieronymum habere interpretem, alteram, quæ integra visa est, eundem præferre auctorem, ostendimus. Illa itaque Theophili Epistola est, quam suo contra Joannem Chrysostomum Libro præfixerat, sive ad Hieronymum una direxerat, rogans ut Latine interpretaretur. Et sane interpretem, non auctorem redolet tota dictati ejus tametsi exigui, structura, eoque magis propositum, quo ærumnis Sanctissimi Patris Chrysostomi de Sede Constantinopolitana iterum exturbati, actique in exsilium, illuditur, flagitiaque illi et scelera inmania imputantur. Ut enim Hieronymus passus sit denum exorari se abs Theophilo, ut maledicta illa in Latinum refunderet: minime omnium credi potest, de suo unquam jecisse in sanctum Episcopum, quantumvis apud se male audire potuisset. Sed hæc nos latius in Notis ad eam Epistolam persequuti sumus. Subjunctus huic erat ipse Invectivarum Liber, quem Noster Latine itidem

explicavit, et Facundus Hiermianensis lib. VI. cap. 5. vocat innormem librum, contumelios et maledictis nimis horribilem. Sedenim ille jamdiu olim intercedit, quam promeritus erat, fortuna usus: ita enim tunc etiam, quum superaret, limis, ut aiunt, oculis exceptus est, ut Facundus, quod ex eo quædam memoret, ex sola necessitate excuset. Nos eandem præfati veniam, Fragmenta, quæ ab eo recitantur ex Hieronymiana, ut testatur, versione collegimus: cætera haud ægre ferentes, quod illo Sancti Patris opere careamus. Utinam ne illi unquam elaborandæ interpretationi manum admovisset: tametsi quod elaboravit, nihil ei culpæ vertimus.

Alteram, sive CXIV. ipsius est Hieronymi Epistola ad Theophilum, qua suum ei Librum Latine conversum remittit, multaque causatur impedimenta, quod serius sit interpretatus. Quod tardius, inquit, Beatitudini tuæ Latino sermone translata Librum tuum remitterem, multa in medio impedimenta fecerunt: Isaurorum repentina eruptio, Phœnicis Galilææque vastitas, terror Palestinæ, præcipue Jerosolymæ. Ad hæc asperitas hyemis, fames intolerabilis, nobis præsertim, quibus multorum fratrum cura imposita est. Inter quas difficultates lucrativis, et ut ita dicam, surtivis per noctem operis, crecebat interpretatio, et jam in schedulis tenebatur, quum diebus sanctæ Quadragesimæ, scripta ad purum collatione tantum indigerem, gravissimo languore correptus, et mortis limen ingreditus, Domini misericordia, et tuis precibus reservatus sum. Hæc nobis annum 406 designare olim visa sunt: siquidem et Isaurorum irruptio et Palestinæ vastitas eo anno contigerunt, quas æruanas fames intolerabilis subsecuta est. Hiems quoque ejus anni videbatur, quæ in aliquot jam exauctorati Chrysostomi Epistolis solito asperior dicitur. Verum quod addit Sanctus Pater, se in diebus Quadragesimæ gravissimo languore correptum pene mortis limen ingressum, si, quod est verosimile, eandem notat ægrotationem gravissimam, quam Præfatione tertia in Amos memorat, ut hæc illi certo certius anno incidit 406, ita eo erit temporis interpretatio illa atque Epistola referenda.

II. Utot vero habuerit se res, hoc certe anno Hieronymus quinque de minoribus Prophetis, qui reliqui sibi erant explanandi, Zachariam puta, et Malachiam, tum alios tres post aliquod temporis intervallum, Oseam, Joelem et Amosum Commentariis illustravit. Testatur id nempe ipse luculentissimis verbis dudum laudata Præfatione in Amosum tertia. Præsentem, inquit, anno qui sexti Consulatus Arcadii Augusti et Amicii Probi fastis nomen imposuit (utique 406, ut Consulares Fasti, veteraque monumenta alia produnt) Exasperio Tolosanæ Ecclesiæ Pontifici Zachariam, et ejusdem urbis Minervio et Alexandro monachis Malachiam Prophetam interpretatus sum. Statimque recurrens ad principium voluminis, Osee et Joel et Amos tibi (Pamunachi) negare non potui. Et post gravissimam corporis ægrotationem, dictandi celeritate ostendi temeritatem meam: ut quod alii, stilum sæpe

vertendo, non audent scribere, ego committerem casui, qui semper dictantes sequitur, et de ingenio atque doctrinæ audaciæ periculum facit: quoniam ut cæpe testatus sum laborem propria scribendi manu ferre non valeo.

III. Interpellatus autem hic labor est brevi alio contra Vigilantium Libro, quem statim ab explanato Malachia, et antequam ad Oseam recurreret, S. Pater elucubravit. Innuimus paulo ante, quam homo ille hæresim, et quibus in locis sereret. In Gallia nempe, ex ea enim erat ipse natione, ut Gennadius tradit: et proprie *Calagurritanus*, sive ex Calagurris vico prope Convenarum urbem, in inferiore Aquitania ad radices Pyrenæi. Ibi et *Ecclesiam*, ut idem Gennadius refert, *parochiæ tenuit*; quæ cum esset sanctorum Presbyterorum Riparii ac Desiderii paræciis contermina, valde hi sibi ab ejus vicinia metuebant. Nam et Episcopus, sub cujus ille ditione agebat, *acquiescere furori ejus visus est*, dum corripere vesanos motus aut negligeret, aut non auderet. Hæreseos hæc erant capita: Primum non esse martyres, neque eorum reliquias venerandas, non vigilandum ad eorum sepulcra in ecclesiis, nullos iis honores deferendos. Tum minime adjuvari nos precibus Sanctorum, quos nostræ necessitates nihil tangant, et quorum signa incredulis dumtaxat prosint. Tertio Ecclesiæ quasdam ceremonias, atque illam cumprimis cereos interdiu accendendi, paganam superstitionem redolere, nec *Alleluia* cantandum nisi in Pascha. Sed neque abdicationem a seculi rebus esse in laudis parte; quin potius Monachorum paupertatem ac solitudinem, desidiam ac turpem fugam videri. Eleemosynas quoque improbandas, quæ Jerosolymam in Sanctorum suffragia mitti consueverant. Denique Clericos minimè omnium debere esse caelibes, et nemini credi debere castitatem: nullos caelibes ordinari posse. Hæc blaterabat homo ex vitæ olim institutio cauponam exercens: quæ scriptis etiam, ut latius venena serperent, consignavit. Jamdiu autem illa Hieronymus expectabat: quæ statim atque accepit, *Sanctorum Presbyterorum, Biparii ac Desiderii rogatu*, per partes confutavit, quemadmodum præstiturum se, illis ante biennium receperat. Executus est autem singulari libello, quem *unius noctis lucubratione dictavit, festinante admodum fratre Sisinnio*, cujus ab Jerosolymis in Ægyptum properantis, atque exinde in Gallias regredientis opportunitatem eo deserendæ scriptiois suæ minime duxit prætermittendam. Porro Sisinnius idem ille est, cui Sanctus Pater Commentarios in Zachariam Exsuperio Tolosano Episcopo reddendos dedit, et cujus *idem festinationem reperiri* in Præfatione causatur. Hos autem Commentarios quem ipse se dicat, ut dudum ostendimus, anno 406 elucubrasset, atque eo quidem ineuale, quemadmodum aliis rationum momentis ex eadem Præfatione illa colligimus, consequitur, ut hic quoque Liber contra Vigilantium ad eandem anni ejus partem sit referendus. Sed et illud quod supra attingimus in recensione Epistolæ ad Riparium hanc ipsam

temporis notationem prodit. Testatur quippe Sanctus ipse Auctor, ex quo tempore Epistolam illam *de vigiliis et pernoctationibus in Basilicis Martyrum* dedit, ad hunc abs se conscriptum libellum ferme biennium effluxisse. Ea vero anno quadringentesimo quarto haud dubie adfigitur.

IV. Per idem tempus, eadem certe discedentis Sisinnii opportunitate, ad propositas sibi quæstiones a Minervio atque Alexandro Monachis, Sanctus Pater respondit. Quamquam non omnes tunc solvit, sed proprie illam de verbis Apostoli, *Omnes quidem dormiemus*, etc. (1. Cor. 15, 5), quæ et cæteris visa est omnibus gravior, et majore cum studio proponi. Reliquis cur non satisfaceret, causatur angustias temporis, et aliarum quæ abs se uno tempore certatim repetebantur, descriptionum et literarum vitæ nimiam. Sed rem præstat ab ipso audire conceptis verbis, ex quibus ipsa etiam, quam diximus, Epistolæ ejus ætas elucet. *In ipso*, inquit, *jam professionis articulo sancti fratris nostri Sisinnii, qui vestra mihi scripta detulerat, hæc quatiacumque sunt, dictare compellor: nec possum vestram celare prudentiam, sed obsecro, ne hoc dictum referatis ad gloriam, quin potius ad plenam necessitudinem, dum ita vobis quasi mihi loquor. Multis sanctorum fratrum ac sororum de vestra provincia ad me detulit quæstiones, ad quas usque ad diem Epiphaniarum largissimo spatio me responsurum putabam. Cumque fartivis noctium lucubratiunculis ad plerasque dictarem: et expletis aliis, me ad vestram quasi ad difficillimam reservarem, subito supervenit, asserens se illico profecturum. Cumque enim rogarem ut differret iter, Libyæ mihi cepit famem obtendere, monasteriorum Ægypti necessitates, Nili non plenas aquas, multorum inediam, ut prope offensa esset in Dominum illum ultra velle retinere. Itaque subtegmen et stamina, licinque et telas, quæ mihi ad vestram tunicam paraveram, vobis inconfecta transmissi, ut quidquid mihi deest, vestro texatur eloquio. Reliqua hæc tute referas.*

V. Jam itaque in Prophetas minores omnes S. Pater Commentarios absolvēat, quam ad Danielem eadem opera illustrandum, animum advertit. In Præfatione, *Ipsius*, inquit, *Prophetæ verba texamus, non juxta consuetudinem nostram, proponentes omnia, et omnia disserentes, ut in Duodecim Prophetis fecimus: sed breviter et per intervalla ea tantum, quæ obscura sunt explanantes.* Annus proinde jam excesserat quadringentesimus sextus, cujus postremæ fere parti postrema item ex duodecim Prophetis explanatio, quæ est in Amos, ex rerum serie, et sexti Consulatus Arcadii Augusti et Anitii probi notatione affligitur. Alia ex parte nondum quadringentesimus octavus agebatur, ut ex his quæ de Stilliconis nece mox dicemus, constabit. Igitur intermedio quadringentesimo septimo conscriptus Commentarius hic est, cujus in Præfatione S. Auctor *οὐνοπλάτων* omnem, et causas suscepti abs se operis exponit. Subinde enim Porphyrii, qui *contra Danielem duodecimum* proprie *Hæbrum* scripserat, calumnias refellit: ostenditque continenter, nullum Prophetarum tam aperte dixisse de

Christo. *Non enim, ait, solum scribit eum esse venturum, quod est commune cum cæteris : sed etiam quo tempore venturus sit, docet : et reges per ordinem digerit, et annos enumerat, ac manifestissima signa prænantiat.* Inscribit autem Pammachio et Marcellæ, quos et compellat ibi verbis honorificentissimis, *Obsecro vos, inquit, Pammachii φιλομαθῆτατα, et Marcella, unicum Romanæ sanctitatis exemplar, junctos fide et sanguine, ut conatus meos vestris orationibus adjuvetis.*

VI. Factum vero tunc aliquot improbitate hominum, qui Hieronymianis studiis et nominis celebritati invidabant, ut quidam Commentarii ejus locus in calumniam traheretur longe gravissimam, perinde atque Principi tunc viro Stilliconi, qui de barbaris gentibus ad Romani exercitus ducem processerat, injuriam diceret. Sanctus Pater in explanationem magnæ illius statux, quam objecta animo specie, Nabuchodonosor viderat, mysterium quarti Regni juxta Danielem, dixit proprie ad Romanos pertinere, et statux pedes et digitos ex parte ferreos et ex parte scitiles eo tempore manifestissime comprobari. *Sicut enim, ait, in principio nihil Romano imperio fortius et durius fuit : ita in fine rerum nihil imbecillius, quando et in bellis civilibus, et adversum diversas nationes aliarum gentium Barbararum indigemus auxilio.* Et suggillari his quidem barbarum ducem, res ferme ipsa significabat, ut conflandæ accusationi in S. Doctorem, haud sane esset ejus æmulis laborandum. Econtrario omnis impendenda a studiosis sui cura, ut benigna interpretatione loci, sensum alio referrent, et suspicionem illam haud levem læsæ majestatis purgarent. Præclarior autem actum cum eo est, quod ante interfectus est Stilico, quam deferri criminis indicia possent. Rem narrat ipse Præfatione undecimi in I. iam Commentarii, quem post ferme triennium elucubrauit. *Non sic, inquit, adulandum est Principibus, ut Sacrarum Scripturarum veritas negligatur : nec generalis disputatio unius personæ (Stilliconis) injuria est : quæ quum benigno meorum studio caveretur, Dei judicio repente sublata est.* Annus agebatur quadringentesimus octavus, ejusque mensis Augustus, quum Stilliconei violentæ manus sustulerunt. Putare autem par est, ante sex illos aut septem menses, qui præcesserunt, jam S. Patris Commentarium ad vulgi manus devonisse, ut illa instrui accusatio in eum posset, et ab æmulis quidem urgeri, a sui autem studiosis caveri benigne, atque in bonam partem exponi. Constat jam itaque, quod dicebamus, nondum octavum supra quadringentesimum annum illuxisse, quum scriberet in Danielem ; sed utique præcedentem proxime quadringentesimum septimum ad fere finem properasse.

VII. Quod subsequitur fere biennium, scribendis ad varios Epistolis, quæ librorum speciem et Tractatum ex mole atque ingenio scriptionis præ se ferant, absumptum est. Sed et ab anno præcedenti scripta una atque altera videri possit, quas heic tamen recensendas distulimus, ne cœptum historie ordinem abruptemur. Priorem ex his locum obii-

net illa ad Julianum in Editione nostra CXVIII. qua S. Pater hominem olim prædivitem consolatur ; quod intra paucos dies amisisset duas filias et uxorem, atque incursantibus barbaris bonam quoque possessionum partem. Hortatur autem ad perfectam vitam exemplo Pammachii et Paulini, quem cum adhuc Presbyterum vocet, satis manifesto indicat ante annum 409, quo ille Episcopus creatus est, hæc se scribere. Alia ex parte quadringentesimum septimum plus minus notat, ubi inter Juliani tentationes commemorat *vastationem totius barbaro hoste provinciæ, et in communi depopulatione privatas possessionum ejus ruinas, abactos armentorum greges, tinctos occisique serulos,* atque his similia, quæ sub Rhadagaiso in Thuscia atque Italia, ex qua regione fuisse Julianus videtur, mala contigerunt, ut Prosperi Chronicon, atque aliæ eorum temporum Historiæ docent, Accepit paulo post S. Doctor de *extremis Galliæ finibus* duodecim propositas sibi Quæstiones ab Hedibia, atque undecim alias ab Algasia, feminis cum plerisque laudibus aliis pietatis atque innocentie præditiis, tum vero ob studia sacrarum Scripturarum eximiis. Quibus singillatim et ad singula quæstionum capitula satis accurate, atque adeo prolixis ad Commentariorum instar Epistolis (*Epp. CXX. et CXXI*), respondens, nullibi tamen vastitatis Vandalorum Alanorumque irruptione Galliis illatæ meminit : quam non videtur silentio cladem præteriturus, si proxime ab ea scripsisset. Contigisse autem illa videtur, si probe rationes ab eorum temporum historicis monumentis subducimus, anni 408 *pridie Calendas Januariarum.* Verosimillimum est alia ex parte, per eundem Apodemium, qui Algasix Quæstiones (*Prosper. in Chron.*) detulerat, eas etiam quas Hedibia ab iisdem mittebat Galliarum finibus adlatas : parque vicissim est credere, responsum utrique uno tempore, ejusdemque opportunitate Apodemii redeuntis in patriam. Adeo quum ad Quæstionem Algasix decimam, se dicat Sanctus Pater *de Rempham in Propheta Amos plenius disseruisse,* isque Commentarius ad anni 406 fere exitum spectet : omnino erunt illæ Epistolæ in subsequentes septimum aut octavum supra quadringentesimum differendæ. Atque hujus utique temporis est, quæ has pone sequitur, CXXII. ad Rusticum : quæ, quia promissam cum uxore Artemia continentiam fregerat, Hieronymus ad pœnitentiam, et ut Loca sancta invisat, conjugis exemplo adhortatur. Quo et vocari illum ait ab adversa Galliarum fortuna, miseraque provinciæ suæ vastitate, quam ob oculos ponit. *Quod si te, inquit, rei familiaris tenent reliquiæ, ut scilicet et mortes amicorum et civium videas, et ruinas urbium atque villarum, saltem inter captivitatis mala, et feroces hostium vultus, et Provinciæ tuæ infinita naufragia, teneto tabulam pœnitentiæ.* Ejusmodi ærumnas subsequente anno 409, scribens ad Ageruchium, exaggerat, ut eam a secundis nuptiis dehortetur. *Hispaniæ, inquit, jamjam perituræ, et Roma ipsa in gremio suo non pro gloria, sed pro salute pugnans : imo ne pugnans quidem, sed auro et cuncta supellectile*

vitam redimens (Epist. CXXIII). Post annum scilicet 408, quo medium prætergresso, scelere semibarbari proditoris Stilliconis, obsessa ab Alarico est Roma, quæ vitam ut redimeret, barbaro duci ingentem vim auri appendit. Denique et ad Avitum hocmet anno, aut insequenti proxime scripsit, ut prima statim Epistolæ ejus verba indicant: *Ante annos circiter decem Sanctus vir Pammachius ad me cujusdam (Ruffini) schedulas misit, quæ Origenis κρι ἀρχῶν interpretata volumina continerent, imo vitata, hoc magnopere postulans, ut Græcam veritatem Latina servaret translatio (Epist. CXXIV).* Enimvero circa annum 399, Pammachius schedas illas ad Hieronymum misit, ut superiore Capite XXX. demonstratum est. Porro autem prætermittenda non est, quam ejus Origeniani libri, abs se in Latinum conversi, historiam ipse subnectit. *Ferit, inquit, ut voluit, misique ei libros, quos cum legisset exhorruit, et reclusit scrinio, ne prolati in vulgus, multorum animos vulnerarent. A quodam fratre, qui habebat zelum Dei, sed non secundum scientiam, rogatus ut traderet ad legendum, quasi statim reddituro, propter angustiam temporis fraudem non potuit suspicari. Qui acceperat legendos, adhibitis Notariis, opus omne descripsit, et multo celerius quam promiserat, codicem reddidit. Eundemque teneritate, et (ut levius dicam) ineptia, quod male surripuerat, pejus aliis credidit. Et quia difficile grandes libri de rebus mysticis disputantes, notarum possunt servare compendia, præsertim qui furtim celeriterque dictantur: ita in illis confusa sunt omnia, ut et ordine in plerisque et sensu careant.* Hac igitur de causa ipsum flagitanti Avito, translationis suæ exemplar dirigit, totaque Epistola, quæ fuerint ab Origene impie dicta, et sedulo caveri oporteat, notat.

VIII. Jam tum vero majoris longe quam quos antea elucubraverat operis, Commentarium in Isaiam scribebat Sanctus Pater libris duodevigintis. Quamquam ex his quintum, qui decem Vi ones historica explanatione prosequitur, diu antea edidit, quam universum Prophetam explicare instituisset: obsecutus enixe id flagitanti Episcopo Amabili, cujus et nomini inscripsit. Diximus de hoc nos libro superius Cap. XXVIII. ut et in Chronologicis ad Epistolam LXVIII. notis, quibus locis ad annum 397 pertinere illum ostendimus. Sedenim in universum Prophetam Commentarium non uno videtur cœpisse atque absolvisse anno: siquidem et longi operis elucubratio illa erat, et aliis se fuisse tunc curis distentum, et Notariorum laborasse inopia, denique senecta et corporis imbecillitate pene confectum, in Præfationibus librorum queritur. Cœperit exeunte 408 quod subindicat ipse loco dudum laudato ex Præfatione libri undecimi, ubi Stilliconem *Dei judicio repente sublatum* narrat. Perfecerit vero insequente 409 medium prætergresso, quod ex Præfatione primi in Ezechielem Commentarii colligimus, et nox clarius ex rerum continenti serie ostendemus. Certe opus universum ante detexerat, quam nuntium de capta direptaque Urbe, rerum olim domina ab Alarico, accepisset.

Locus itaque ille, qui rationibus hisce obstat, initio libri tertii, *De hac Visione (Seraphim) ante annos circiter triginta, quum essem Constantinopoli, et apud virum eloquentissimum Gregorium Nazianzenum, tunc ejusdem urbis Episcopum Sanctarum Scripturarum studiis erudirer, scio me brevem dictasse subitumque Tractatum, ut experimentum caperem ingenioli mei, iste, inquam, locus, qui et nos aliquando movit, commodo lectore opus habet.* Cum enim, ut superius suo loco ostendimus, annus ageretur 381, quo tempore S. Pater Constantinopoli fuit apud Gregorium Nazianzenum, neque hic revera Cathedrali regniæ urbis nisi ab ejus anni Maio mense ad Julium tenuerit: consequens esset, ut toto adhuc biennio serius, sive in annum denique undecimum, aut decimum saltem supra quadringentesimum Commentarii hujus initia differrentur. Sed Hieronymus ipsemet numero, ut vocant, rotundo, et circiter præterea usus adverbio locum accuratiori supputationi facit, ut etiamsi tantum anni duodetriginta intercesserint, sibi ipse tamen suisque rationibus satis constet.

CAPUT XXXV.

- I. Nuntio de capta Roma, et Marcellæ obitu consternatus, despondet animum. II. Cæptos tamen in Ezechielem Commentarios postea resumpsit. III. Et ad Marcellinum respondens, queritur de irruptione Saracenum, a quibus vix salvus effugit. IV. Scribit deinde ad Principiam Marcellæ Epitaphium. V. Ad Rusticum quoque, et ad Gaudentium Epistolæ. VI. Commentarios in Ezechielem absolvit. VII. Scribit ad Demetriadem, et ad Dardanum. VIII. Quædam alia scripta ejus et gesta.

Alaricus ingentem vim auri a Romanis quum exegisset, Urbis libertatem cum iis pactus, insequenti proxime anno 409, cædus violavit, et Romam præpotenti cum exercitu Barbarorum reversus, eam miserum in modum die mensis Augusti XXIV. totoque biduo insequenti diripuit, ferro atque incendiis vastavit. Narrant teterrimam stragem Olympiodorus apud Photium Cod. LXXX. Ruffinus Præfatione Homiliarum Origenis in Numeros apud Valesium, et Palladius in Lausiaca cap. CXVIII. Quorum nos sequuti rationes, ad hunc annum cum eruditissimo Chronologorum Pagio Urbis casum revocavimus. Cætera scimus, vulgo obtinere aliorum sententiam, quæ in annum insequentem 410 transfert: quam quidem et nos olim amplexi sumus. Tantæ autem cladi proceres Romani complures ex eorum numero, qui Hieronymo juncti amicitia erant, succubuerunt. Hos inter Pammachius, quem de nomine laudat S. Pater: et Marcella, cujus postea ipse, ut mox dicemus, Epitaphium condidit. Sed harum nuntium calamitatum ubi accepit, ita animo consternatus est, ut propemodum obstupuisse, de se ipse testetur. Diu certe multumque, puta solidum annum, et quod excurrit, mœnore superatus conticuit, et quem vixdum occæperat in Ezechielem Commentarium excidere e manibus passus est.

II. Id vero præstat ab ipsomet intelligere, quum ad ejus se demum elucubrationem recepit. *Finitis, inquit Prologo primo in Ezechiel, in Isaiam decem et octo Explanatum voluminibus, ad Ezechiel, quod tibi, et sanctæ memoriæ matri tuæ Paulæ, o Virgo Christi Eustochium, sæpe pollicitus sum, transire cupiebam, et extremam, ut dicitur, manum operi imponere Prophetali: et ecce subito mors mihi Panmachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum ac sororum dormitio nuntiata est. Atque ita consternatus obstupui, ut nihil aliud diebus ac noctibus, nisi de salute omnium cogitarem: neque in captivitate Sanctorum putarem esse captivum, nec possem prius ora reserare, nisi aliquid certius discerem: dum inter spem et desperationem sollicitus pendeo, aliorumque malis me crucio. Postquam vero clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani imperii truncatum caput: et ut verius dicam, in una Urbe totus orbis interit, Obmutui, et humiliatus sum, etc. Verum quia et tu indesinenter hoc flagitas, et magno vulnere cicatrix paulatim inducitur: Scorpiusque (Ruffinus) inter Enceladum et Porphyrionem Trinacriæ humo premitur, et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit: datumque tempus, quo non hæreticorum respondere insidiis, sed Scripturarum expositioni incumbere debeamus, aggrediar Ezechiel Prophetam, cujus difficultatem Hebræorum probat traditio, etc., quæ huc referas. Jam itaque Ruffinus fato functus erat, quem ait S. Pater Trinacriæ jam humo premi: Messanæ scilicet, ad quam ultimam Italiæ urbem, barbaricam procellam effugiens, sese cum utraque Melania atque aliis receperat, inter Sicanos, utique gigantibus Encelado et Porphyrioni (perperam lectum ante nos Porphyrionem) juxta fabulas Poetarum montes superimpositos. Mortuus autem hic est ab illa cum Romæ tum Latii, subinde et magnæ Græciæ depopulatione anno insequenti, sive 410, eoque fere medio, si fidem Martyrologio illi adhibemus, quod Bolandiani socii sub nomine Florarii Sanctorum, identidem laudant, et in quo ejus memoria die xiv. Junii consignatur. Denique nactus jam erat Hieronymus tantum otii, quo sibi quieto esse ab hæreticorum insidiis liceret, et posset æquo animo Scripturarum explanationi incumbere. Quæ omnia devenisse jam illum ad anni 411 exordia satis manifesto indicant.*

III. Quæ subsequens est rerum suarum, ac Vitæ seriem S. idem Pater Epistola CXXVI, quam hocmet anno (post plures alias quæ interciderunt) ad Marcellinum et Anapsychiam scripsit, persecutus est. Cumque narrasset pluribus, voluisse olim se volumen Ezechielis explanare, malis autem ingruentibus, fere despondisse animum, diuque tacuisse, quod tempus esset lacrymarum, addit, *Hoc autem anno (utique 411) cum tres explicassem libros, subitus impetus Barbarorum,.... sic Ægypti limitem, Palæstinæ, Phœnicis, Syriæ percurrit ad instar torrentis cuncta secum trahens, ut vix manus eorum misericordia Christi potuerimus evadere. Duos itaque libros nisi Sanctæ filie meæ Fabiolæ (juniori scilicet, quæ se Urbis et patriæ de-*

vastationi subducens, in Africam receperat) quorum exempla si volueris, ab ipsa poteris mutuari; pro angustia quippe temporis alios describere non potui. Facile quod et tertium describere non potuerit, causæ fuit, quod confugientium ad se de toto orbe frequentia incredibili pressus, obeundis erga omnes hospitalitatis officiis distineretur. Nimirum hoc ipse in ejusdem Præfatione libri causatur, Quotidie, inquit, sancta Bethleem nobiles quondam utriusque sexus atque omnibus divitiis affluentes, suscipit mendicantes. Quibus quoniam opem ferre non possumus condolenus, et lacrymas lacrymis jungimus: occupatique sancti operis sarcina, dum sine gemitu confluentes videre non patimur, Explanatum in Ezechiel, et pene omne studium omisimus, Scripturarumque cupimus verba in opera vertere, et non dicere sancta, sed facere.

IV. Interim S. Pater sæpe et multum rogatus a Principia virgine, ut memoriam sanctæ Marcellæ litteris commendaret, cum hucusque mœrore affectus incredibili reticisset, et biennium ab illius obitu præterisset silentio, quod nihil tunc sibi videretur promere posse laudibus ejus dignum: denique opportunitatem nactus, Epistolam ad eam dedit in recensione nostra CXXVII. qua debitum Marcellæ virtutibus officium una lucubratione persolvit. Atque eam sane nulli secundam, cum nobilissimi generis, tum pietatis in Deum laude mulierem magnifice prædicat, quod septimo a nuptiis mense viro orbata, Cerealem Consulem secundas ejus nuptias ambientem rejecerit, et Monachæ Vitam prima nobilium feminarum ausa sit Romæ profiteri, suoque exemplo multas ad idem institutum pertraxerit. Tum illud pluribus exornat, quod sanctarum Scripturarum studiis accensa, abs se Romæ tunc agente divinas Litteras diligentissime didicerit, utque altius infigeret menti, sæpius ad absentem scripserit, questiones in difficiliora loca flagitans, ut sibi edissereret. Ad hæc ejus narrat factum opera, et intemeratæ Religionis amore, ut factio Origenistarum, quæ Romæ cœperat invalescere, prodita atque extincta sit. Denique et in Romanæ ejusdem urbis direptione, sui que captivitate impense laudat, quod constantem animum gesserit, ut cæsa sustibus flagellisque videretur non sensitisse tormenta, et inter cruentos gladios invenerit pietati locum, et post aliquot dies sano integro vegetoque corpusculo obdormierit in Domino.

V. Per id quoque temporis scripsisse putandus est S. Pater Epistolas duas alias, alteram ad Rusticum Monachum, ad Gaudentium alteram. Illa quemadmodum oporteat instituere vitam Monacho dignam, per partes docet: cumque paupertatem cum primis amplectendam moneat, Cæterum, ait, *juxta miseras hujus temporis, et ubique gladios sævientis, satis dives est qui pane non indiget.* Non alias autem se quam modo narratas calamitates designare (contra atque alii autumant, qui eas huc referunt, quæ ante quinquennium contigerunt) paulo superius prodit, ubi Ruffinum jam fato functum significat, tarditatis ejus sub Grunni nomine insultans. *Testudineo, inquit, Grunnius incebat ad loquendum gradu, et per intervalla quædam,*

vix pauca verba carpebat, ut eum putares singulire, non proloqui. Et tamen quam mensa posita, librorum exposuisset struem, adducto supercilio, contractisque naribus, ac fronte rugata, duobus digitulis concrepabat, etc., quibus tute fatcaris, non alium voluisse, quam Ruffinum, eumque non ita pridem vita defunctum perstringere. Altera, qua infantulam biennium circiter natam, Pacatulam nomine, præceptis, quæ postmodum lectura sit, ad Christianam pietatem instituit, eadem temporis indicia præfert. Inter alias quas deslet sæculi calamitates, Orbis, inquit, terrarum ruit.... *Urbs inclyta, et Romani imperii caput uno hausta est incendio; nulla est regio, quæ non exules Romanos habeat*: Et paulo post: *His Pacatula nostra nata est temporibus: inter hæc crepundia primam carpsit ætatem, ante lacrymas scitura quam risum*. Illa vero vix tertium tunc annum iniisse putanda est: dicitur quippe interim in sinu matris garrula voce balbutire, nec si modo litterarum elementa cognosceret, ultra aliquid posse, quam syllabas jungere.

VI. Recepit continuo se ad Ezechielem suum S. Pater, et lentescere per tempus dolore, opus a quarto ad nonum usque librum, 12, supra 400 anno vergente ad finem, et subsequentis initio, persequutus est. Tanti autem ei labor hic stetit, ut vix posset lucrativis imo furtivis nocturnis horis cœpto insistere. Fateor, ait (*Præf. lib. VII*), *me Explanaciones in Ezechiel multo ante tempore promississe, et occupatione de toto huc orbe venientium implere non posse: dum nulla hora nullumque momentum est, in quo non fratum occurramus turbis: in tantam ut aut claudendum sit nobis ostium, aut Scripturarum, per quas aperiendæ sunt fores, studia relinquenda. Itaque lucrativis, imo furtivis nocturnis horis, quæ hieme propinquante, longiores esse cœperunt, hæc ad lucernulam qualicumque sunt, dictare conamur, et æstantis animi tedium interpretatione digerere*: et paulo post: *Accedit ad hanc dictandi difficultatem, quod caligantibus oculis senectute; ad nocturnum lumen nequaquam valeamus Hebræorum volumina relegere, quæ etiam ad Solis dieique fulgorem, litterarum nobis parvitate cæcantur. Sed et Græcorum Commentarios fratrum tantum voce cognoscimus. His præpeditis difficultatibus, et novis subinde injectis, ubi tantisper ab una respirasset, occupationibus et moris, reliquos libros per intervalla dictavit, ut nedum reliquum quod erat huius 413 anni in illa expositione transegerit, sed et magnam insequentis partem. Et vere sub illius finem nonum librum se indicat adornasse, ubi Heraclianum Africæ Comitem, hominem præ Barbaris ipsis impium, NUPER dedisse pœnas perfidiæ suæ refert. Hic scilicet illo anno 413, quo Luciani V. Cl. Collega in Consulatu fuit, jam ultra medium excurrente, sive Augusto mense, Novarum, ut Prosper ait, in Africa rerum reus honorem amisit et vitam (*In Chron.*). Ut proinde minimum putes nuper illo adverbio, temporis antea acti spatium designari, postremos prope dixerim dies ejusdem anni, ut notet necesse est. Hinc reliqui libri in subsequentem 414, facile differendi. Quod quidem de postre-*

duobus, qui Visionem Templi edisserunt, liquido constat. Quum enim pervenisset ad eam partem delubri, in qua Sancta sanctorum, et Thymiamatis altare describitur, se testatur Sanctus Interpres maluisse opus parumper intermittere, ut ad virginem Demetriadem scriberet, quod est, ut ipse ait, *De altari transiret ad altare*.

VII. Hanc itaque Epistolam paulo antequam finem Commentario illo imponeret, dedit ad eximiam eam virginem, Julianæ filiam, et Probæ neptim, quam spreis illustribus nuptiis, cum se Christo dedicasset, hortatur ut in sancto proposito perseveret, et quibus id præstet officiis ac studiis, docet. Quod autem annus tunc ageretur 414, pluribus ipse locis satis manifesto prodit, atque illo cum primis, ubi se ait ante annos triginta cognominem huic librum ad Eustochium de Virginitate servanda elucubrasse. Cætera in chronologicis Notis satis abunde persequuti sumus. Sed et ad Dardanum de terra Promissionis Epistolam in nostra recensione CXXXIX, hocmet anno vergente ad exitum, scripsit, Commentario in Ezechielem jam, ut videtur, absoluto. Dicitur enimvero Dardanus jam duplicis Præfecturæ honorem transegisse, Præfecti scilicet Prætorio Galliarum: quarum primam obierat jam anno 409, alteram 413 gessit, ut ex Prosperi Tironis Chronico liquet, qui ejus potissimum opera oppressum Jovinum tyrannum, averso ab ipsius societate Rege Ataulfo, tradit. Serius ne differatur, vetat aliud S. Patris testimonium libro I. Commentariorum in Jeremiam: quem certo certius insequenti proxime anno adornavit, et cap. III. eam nuper ab se editam refert (*Gothofr. cod. Theod. lib. XII. tit. I. de Centurionib. Lege 171*).

VIII. Cœptum deinde est inter Ecclesiasticos viros de Animæ origine disputari: cujus ad Hieronymum disputationis arbitrium delatum est. Paulus Orosius, Origenismi labe corripri sensim Hispanias animadvertens, ad Augustinum in Africam trajecit, eumque suscitatus est inter alia multa de illa quæstione, utpote ab Adamantii fontibus derivata. Sed minime ausus Hipponensis Episcopus ferre sententiam, ei auctor fuit, ut in Palestinam ad Hieronymum, quasi petiturus oraculum, navigaret. Duas quoque ei dedit in eam rem deferendas ad illum Epistolas, quæ numeros in recensione nostra CXXXI. et sequ. obtinent. Harum prima recensens varias de animæ origine sententias, petit doceri, quæ potissimum tenenda sit, et quomodo adversus Pelagianorum dogma illa ejus defendi possit, quam Epistola ad Marcellinum et Anapsychiam insinuaverat, singulas animas novas nascentibus creari. Altera consulit de loco ex Jacobi Epistola, *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus*. Advenit Orosius circa vernum tempus, ibique aliquandiu commoratus est: aderat enim, ut mox dicemus, ejusdem anni 415, adhuc mense Julio, quæ Jerosolymis contra Pelagium in aciem descendit. Hieronymo ad Augustini Epistolas respondendi, otium defuit tot undequaque concertationibus contra hæreticos occupato: id quod et narratum nos imus, et

ipsem anno insequenti ad illum scribens Epistola CXXXIV causatur.

CAPUT XXXVI.

I. Pelagius hæresim suam importat in Palæstinam. II. Quem Hieronymus in Jeremiam scribens, perstringit. III. Mox impugnat data ad Ctesiphontem Epistola. IV. Et præfationibus secunda et tertia in Jeremiam. V. Tum proprio opere, sive tribus libris Dialogorum. VI. Recipit se iterum ad Commentarios: quod tamen opus imperfectum relinquit. VII. Male habetur a Pelagianis, qui in Monasterium ejus igne et cædibus sæviunt. VIII. Consolatorias ea de re accipit ab Innocentio Papa. IX. Sedes mutat, nec tamen desinit hæresi infestus esse. X. Eustochium moritur. XI. S. ipse Pater diem obit.

I. Jam se se itaque in Palæstinam ex Africa intruserat Pelagiana pestis, nonnullosque de ipsius Jerosolymitanæ Ecclesiæ primoribus corripuerat. Huic hæresi a Pelagio, ejus auctore, nomen esse, nemo est qui nesciat. Ipse quis fuerit, paucis accipe. Natus est humili loco in Scotia, unde *Scotorum pulchris prægravatus* Hieronymo dicitur (*Prolog. I et II in Jer.*) et *Albinus canis et corpulentus*, ab Albin sive Albion, quo nomine patriam insulam Scoti appellabant: aliis *Britannus coluber*, et *Brito cognominatus* (*Prosp. de Aug. ng. I. Ep. 186*). Sequutus Monasticæ Vitæ institutum, diu Romæ, nec sine sanctitatis existimatione aliqua vixit, erroris sui semina clanculum spargens, sibi que valde à publica luce metuens. Venit postea in Africam semel atque iterum, ubi Cælestium erroris sui discipulum omnium facile principem instituit: qui Carthagine Presbyterii honorem consecutus, contra Christi gratiam præmagistro suo classicum cecinit. Ipse in Palæstinam contendit, et Jerosolymæ commoratus est, ubi et familiaritatem cum Hieronymo, dum bene ei notus adhuc non esset, fertur junxisse. Sanctus certe Pater testatus est postea, se patienter adversus illam hæresim gessisse, ne veterem lædere videretur necessitudinem (*Prolog. IV. in Jerem.*). Cæterum latere sub ejus verborum melle, cordis venena, satis mature animadvertit, jamque a superiore anno 413, cum sextum in Ezechielem Commentarium elucubraret, in Prologo questus est, *reviviscere Hydræ novella plantaria, et hæreticis Dei percussis manu, hæresim ipsam non mori, hæreditariis odiorum suorum catulis derelictis, qui nostra simulantes, genitricis antiquæ venena nox deserunt*. Ad Demetriadem quoque scribens (ad quam ipse etiam Pelagius, nobilissimæ virginis instituendæ obtentu, Epistolam dederat hæresis suæ veneno suffusam) monet, *ut sibi caveat ab impia et acclerata doctrina* (Pelagiana utique, quam prognatam suspicabatur ab Origeniana) quæ, inquit, *olim in Ægypto et Orientis partibus versabatur, et nunc abscondite, quasi in foveis viperarum apud plerosque versatur, illarumque partium pollutit puritatem, etc.*

II. Insequenti anno Hieronymus Commentarios in Jeremiam scribere aggressus est: volebat enim, si

per hæreticos æmulosque suos licuisset, extremam operi Prophetali manum imponere. Ipsa autem hæc hæresis in causa fuit, ut explere, quod in votis habebat, nequaquam potuerit, dum verba subinde ac stylum in eam coactus convertere, cœptum opus intermittit, et senio ingruente, atque aliis quæ mortem proxime antecedunt incommodis, sensim deserit. Nec continuit se tamen hoc ipso scriptiois genere ab impugnanda impia doctrina, ejusque auctore exagitando, tametsi nomini parceret. Et prioris quidem Prologo libri indoctum calumniatorem eum vocat, et nimia stertentem Vecordia: Grunii, imo et Joviniani assecclam stolidissimum, qui alienis vocibus blasphemaret, et in tantum imperitum, ut ne maledicta quidem haberet propria.

III. Hoc absoluto libro, Ctesiphon nescio quis, *Urbicus*, vel *Urbicius*, ut in Mss. nonnullis dicitur, ex sanctæ atque illustris domus conciliabulo, quod videtur Pelagio et suis opes ad sustentandam vitam contulisse, Hieronymum de hujus doctrina, quæ plurimos jam movebat, consulit. Ad quem statim ille Epistola CXXXIII. quæ ad Tractatus instar ordinata est, respondit, nihil hæreticorum veritus minas, quin potius idcirco animos sibi sumens, quod illi scriptorum suorum fulmina munitarentur. Ac primo quidem ἀπαθελαν et ἀμαρτολαν quo veluti gemino tibi sine superbissima hæresis fulciebatur, id est, immunitatem ab animi perturbationibus, et impeccantiam, utpote diabolicæ superbiæ figmenta refutat, ostenditque ex Philosophorum cœnosis fontibus, et maxime Pythagoricorum, qui hominem exæquant Deo, ad Christianæ fidei exitium derivari. Hinc Dei gratiam, cujus per singula opera nitamur et regamur auxilio, ita adstruit, ut verborum fallaciis, quibus, obtentu liberi arbitrii, simplicioribus illudebant, reliquum locum nullum faciat. Tum illos ad respondendum lacessit, ut libere loquantur quod credunt, et quod semel scripserint, negare laud possint. Denique Ctesiphontem rogat, et commonet, *ne per unum, aut ut multum tres homunculos sancta illa atque illustris domus suscipiat tantarum sæces hæreseon, ut ubi primum virtus, et sanctitas laudabatur, ibi præsumptionis diabolicæ et sordidissimæ societatis turpitudine versetur: sciantque qui hujuscemodi hominibus opes suggerunt, hæreticorum multitudinem congregare, et Christi hostes facere, et enutrire adversarios ejus*. De anno, quo hæc scripta sunt, et quem diximus 415, dubitare non sinit dudum laudatus Orosius Apologetici cap. IV. ubi de Jerosolymitano conventu, quem constat hocce anno sub Julii mensis finem celebratum, deque Pelagii errore loquens, quod homo suis viribus possit mandata Dei custodire, *Hoc*, inquit, *Beatus Hieronymus in Epistola sua, quam nuper ad Ctesiphontem edidit, condemnavit*.

IV. Recipit statim se Sanctus Pater ad Commentarios in Jeremiam: et secundi Prologo libri se ait, *avertere parumper aures, ne audiat judicium sanguinis et interfectorum animas deploret, qui opinione virtutum quotidie corruunt in superbiam, et Deo se similes arbi*

rantur. Quorum, subdit, furori respondimus, ut potuimus, et si Dominus vitam dederit, plenius responsuri sumus. Interim et tertium librum excudit eadem in Prologo conquestus, non pati Diabolum, quo nomine sectam Pelagii notat, se optata quiete contentum, Scripturarum sanctarum explanationi insistere, sed id agere diebus et noctibus, et aperte, et per insidias, veris falsa miscendo, imo universa mendacia subdolo melle circumlinentem, ut qui audit verborum dulcedinem, venena pectoris non formidet. Et post alia id genus, Latrare per Albinum canem (Pelagium) grandem et corpulentum, et qui calcibus magis possit sævire, quam dentibus. Habet enim progeniem Scotiæ gentis de Britannorum vicinia, quia iuxta fabulas Poëtarum spirituali percipiendus est clava, ut æterno cum suo magistro Plutone silentio conticescat. Verum hoc alias, etc.

V. Coactus revera est iterum, hoc absoluto libro ab explanatione Prophetali manum revocare, ut proprium opus, quod facturum se receperat, in hæreticus aggrediretur. Contextit hoc autem forma dialogorum sub persona Attici catholici, et Cretobuli hæretici, ex ordine omnem de Divina gratia, deque libero arbitrio controversiam explicans, et verbum verbo ad singulas hæreticorum sententias reponens. Sed utique scitu digna temporis, quo id moliretur, notatio est. Extremo scilicet Julio præsentis anni, adniten-tibus contra hostem antiquæ fidei Presbyteris Jerosolymitanis, Joannes Episcopus, qui primas hæretico deferebat, totius Cleri synodum indixit. Eo vocatus est etiam Orosius, et quid ex Africa contra Pelagianam doctrinam advexisset, jussus exponere. Tum Pelagius quoque introductus est, qui iudice usus suarum partium studioso, deque sua factione inter-pretibus, qui Orosii Latine dicta in Græcum relun-derent, iudicium Synodi declinavit, quin etiam hæ-reseos invidiam in accusantem convertit. Nempe Orosium aliquot post dies Joannes blasphemiam arguit, quam ille criminationem edita mox Apologia abs se coactus est amovere. Eo autem Opere laudans interdum adsertam Hieronymi testimonio fidem, eum etiam refert, tunc temporis conscribendis contra hæ-reticum dogma libris Dialogorum insudasse, Hoc, inquit, *Beatus Hieronymus... in libro, quem nunc scribit, collata in modum Dialogi altercatione, confutat.* Jam itaque ad finem annus properabat quum absoluti atque in lucem editi libri sunt: nam September mensis, quum eam Apologiam Presbyter Hispanus scriberet, jam trahebatur.

VI. Aliquanto post contulit se tertium Sanctus Pater ad Commentarios in Jeremiam, quos per tres adhuc li-bros sive ad sextum usque, et ad Prophetæ caput trigesimum secundum, aliis subinde occupationibus distentus, adornavit. Oblivisci tamen contra hæreticos pugnae non poterat, et insectandi fidei hostes occa-sioni semper imminabat. In prologo quarti libri Pa-triarchas nefariæ ejus sectæ Pythagoram, Zenonem, Origenem, Grunniium, Evagrium Ponticum, Jovinia-num dicit: scriptaque sua ingerens, Cui, inquit, *respon-dere diu tacens, et dolorem silentio devorans, crebra fra-*

trum expostulatione compulsus sum, nec tamen hucusque prorupi, ut auctorum (Pelagii cum primis, et Cælestii) nomina ponerem, maleas eos corrigi quam infamari, etc. Et prologo quinti, altero ait apud Jeremiam Calathio hereticorum perfidiæ amaritudinem demonstrari, nota-rique illos personis Ananiæ, et Semeiæ, et Sophoniæ sacerdotis, qui in prophetæ interitum conjurabant. Denique ex sexto libro sub finem Scripturarum testi-monia congerit multa, ad retundendam eorum im-pudentiam, qui putant, hominem omnia posse complere, quæ se facturum esse pollicitus est. Alios præterea li-bros Commentariorum in reliquum Prophetæ contex-tum non elucubravit Sanctus Pater, ut suo nos loco, et in generali præfatione certis argumentis probasse visi sumus. Aut certe si duos aut tres postea adjecit, qui-bus opus compleret (non utique alios quatuordecim, ut hactenus perperam existimatum est) illi jam tum advente S. Auctore, antequam in vulgus ederentur, in direptione illa monasterii, quam paulo post Pela-giani satellites perpetrarunt nos imus narratum, depe-ferunt.

VII. Facinoris ejus longe nequissimi historia ita habet. Pelagius a Jerosolymitano conventu, Joannis, ut diximus, opera, liber cum evasisset, post quinque fere menses Diospolim, quæ urbs in Scripturis Lydda appellatur, ad Concilium, cui admodum quatuorde-cim e Palæstina Episcopi aderant, vocatus est. Quæ sibi objiciebantur errorum Capitula, ut loquitur Inno-centius Papa, partim vitando suppressit, partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit, aliqua magis falsis argumentis, quam vera ratione, ut ad tempus poterat videri, purgavit, negando alia, alia falsa interpretatione vertendo. Nempe hæreticas opi-niones latine scriptas Græci Antistites cum haud satis per se possent expendere, nullusque esset ex adver-so, qui urgeret (Erotes enim et Lazarus, qui in eam rem ex Galliis venerant in Palæstinam, propter gravem unius eorum aegritudinem [Aug. de Gest. Pel.]. Synodo interesse minime potuerunt) Judices denuo fefellit, deque Diospolitano concilio velut absolutus, suo tamen palam damnato dogmate egressus est. Tum vero hæ-reticus triumphum agere, sparsaque in vulgus Epi-stola carnalis ventositatis et elationis (*Idem, ibid.*), tanquam Gallorum insultus fregisset, efferrî atque insolescere, sibique animos et suis contra rectæ fidei adsertores addere. In Hieronymum autem præsentem inimicum, ejusque sanctos Monasterii fratres, non scriptis, aut verbis, sed igne et cædibus sævitum est. Tunc (verba sunt Augustini libro de Gestis Pelagii sub finem impie factum non sine execratione et la-crymis enarrantis) *a nescio quo cuneo perditorum, qui valde in perversum perhibentur Pelagio suffragari, incredibili audacia perpetrata dicuntur tanta mala, ut Dei servi et ancillæ ad curam sancti Hieronymi perti-nentes sceleratissima cæde afficerentur, Diaconus occide-retur, ædificia monasteriorum incenderentur, viæque ipsum Hieronymum ab hoc impetu, atque incursum im-piorum in Dei misericordia turris munitior tueretur.*

VIII. Tanti sceleris haud inscium fuisse ipsum Joannem Episcopum, qui Pelagio faverat, pleraquo

indicio erant. Hieronymus sane, itemque Eustochium et Paula junior, scriptis continuo hac de re litteris Romam ad Innocentium (quarum tamen nulla ætatem tulit) multa conquerentes Pontifici de perditorum hominum facinore impio atque immani, ut opis aliquid ferret extremum laborantibus, implorant, *cum plus se adhuc metuere dicerent, quam conquererentur esse perpassas. Nomen tamen hominis causamque retinuerunt*: quæ earum christiana modestia fuit. Respondit sanctus Pontifex tribus Epistolis, quæ inter Hieronymianas a num. CXXXV. per subsequentes duos recensentur. Prima ad Aurelium, quæ et paucissimis versibus constat, hunc precatur ut quamprimum alteram Hieronymo reddendam curet. Hac autem S. Patrem verbis lenissimis consolatur, et bono esse animo jubet, quod *pro veritate perpassus, expectet beatitudinem, laborum in Christo mercedem*: quam ipse aliis continuo prædicabat. Tum *si, inquit, deposueris apertam manifestamque in homines aliquos accusationem, aut iudices competentes tribuam, aut si aliquid urgentius sollicitiusque a nobis fieri potest, non retardabo*. Interea quid sibi pro tempore faciendum duxerit, ac porro fecerit, declarat. Tertiam ad ipsum dedit Joannem episcopum, quem pro Sedis Apostolicæ auctoritate satis acriter reprehendit, in eoque reum agit, quod prospicere debuisset, ne scelus admitteretur: *prorsus enim, ait, Sacerdotis gravitatem condemnat tantum nefas in Ecclesia fuisse completum. Quod nisi deinceps corrigat, vel retundat, fore ut jus Ecclesiasticum de labefactatis causas eum, qui non defenderit, præstare compellat*. Hæc Epistolas in chronologicis ad eas notis anno scriptas fuisse 417 ineunte ostendimus, post aliquot ab illo in Hieronymum facinore perpetrato menses. Ex eo loco momenta rationum repete. Innocentius paulo post, sive duodecima die mensis Martii obiit, cui Zosimus successit: nec diu post fato quoque functum esse Joannem Jerosolymitanum, quem Praylus excepit, vetera monumenta persuadent.

IX. Sunt vero alia, quæ ejus seriem temporis, atque historiæ scripta Sancti Patris continuant. Epistola CXXXVIII ad Riparium, fuisse demum Pelagiana dogmata rejecta indicat, et pulsum esse non solum de urbe, sed etiam de Palæstinæ finibus Catilinam, quo nomine alium quam Pelagium denotare voluisse, non est verosimile. Dolet autem plurimum, quod multi conjurationis socii remanserint, qui in Joppe remorantur. Nobis autem (subdit) melius visum est, locum mutare, quam fidei veritatem, ædificiorumque et mansionum amantitatem amittere, quam eorum communionem maculari, quibus impræsentiarum aut cedendum erat, aut certe quotidie non lingua, sed gladiis dimicandum. Quanta autem passi simus, et quomodo excelsa manus Christi pro nobis in hostem sævierit, puto te celebri nuntio omnia cognovisse. Item in subsequenti ad Apronium, profligatos jam hæreticos in Oriente nuntiat. Hæc enim, inquit, quæta sunt omnia: et licet venena pectoris non amiserint, tamen os impietatis non audent aperire, sed sunt sicut aspidæ surdæ et obturantes au-

res suas. Nostra autem domus secundum carnales opes, hæreticorum persecutionibus penitus eversa, Christo propitio, spiritualibus divitiis plena est. Eadem plus minus renuntiat scribens ad Augustinum Epistola CXLI. et subsequente, quarum altera congaudens ejus in Pelagianos strenuitati, veræ eidem gloriæ vertit, quod eum omnes hæretici detestantur; et me, inquit, pari persequuntur odio, ut quos gladiis nequeunt, voto interficiant. Altera significat, multos adhuc assequi, ne fractis quidem cervicibus inclinantur, habentes affectum erroris pristini, cum prædicandi eandem non habent libertatem. Esse etiam nonneminem potentem qui dissimulante eis faveat. *Capta, inquit, Jerusalem tenetur a Nabuchodonosor, nec Jeremiæ vult audire consilia*. etc. Hæc autem omnia cum reliquum quod erat anni 417 tum subsequentem, aut totum, aut maximam certe partem per historiæ Pelagianæ adjuncta statusque varios, satis manifesto denotant.

X. Insequens annus 419 laborum cumulum et miseriarum, jamjam properanti ad vitæ finem Hieronymo attulit. Eustochium, quæ ejus instituti jam inde a Bethleemiti Monasterii conditu post Paulam matrem reliqua una lux erat, occubuit. Virgo rei Christianæ tum Monasticæ vitæ sanctissimæ decus præcipuum: cujus ego laudes, totque edita per annos ferme viginti quinque virtutum exempla complecti verbis laud possim. Nata principe apud Romanos loco, patre Toxotio, de Julia gente, unde et Julia appellata ipsa est, matre, ut diximus, S. Paula, de Scipionum et Paulorum stirpe, in tanta opulentissimæ domus, atque Urbis frequentia, pro nihilo habuit humana omnia, contraque aduentibus summo studio Hymetto avo, et Prætexata ejus uxore, castitatem Deo vovit. Secuta deinde est S. matrem in Palæstinam, et Bethleemi constructo Virginum monasterio, secum illa in sancto proposito, ad perfectionis Evangelicæ summa contendit. Matre ad superos evocata ante annos ferme quindecim, Monasterium sola administravit, quod virginibus quinquaginta constasse, Palladius tradit: incidisse autem in difficillima tempora, quæ superius narrata sunt, monstrant. Annum, quo vivere desiit, hunc nimirum 419 asserunt eruditiores (*Laus cap. 26*); diem, quo memoria ejus agitur, Martyrologium Romanum consignat Septembris 28, eo scilicet qui proxime Præceptoris sui Hieronymi memoriam antecedit. Illic autem tanto ob illius mortem, mœrore affectus est, ut animum fere desponderit. Testatur ipse, scribens paulo post, hoc tamen vertente anno, Epistolam CXLIII. ad Alypium et Augustinum, afflictis jam rebus omnibus, nec fuisse sibi amplius cordi, suis sive Ecclesiæ hostilibus responderi. Quod, ait, *quaritis, utrum rescripserim contra libros Aniani pseudodiaconi Celedensis, qui copiosissime pascitur, ut alienæ blasphemiarum verba frivola subministret, sciatis me ipsos libros in schedulis missos a Sancto fratre nostro Eusebio (Cremonensi) Presbytero suscepisse, non ante multum temporis, et exinde, vel ingruentibus morbis, vel dormitione Sanctæ et venerabilis filiarum vestrarum Eustochii ita do-*luisse, ut propenodum contemnendas putarem, etc.

XI. Nullum ab hac Epistola exstat aliud Hieronymi scriptum, gestorum quoque ejus nulla deinceps est mentio. Facile sanctum senem ætate, laboribus, morbis confectum, trabentemque magis, quam agentem vitam, hocce anno 420 Deus ad cœlestem patriam, meritamque gloriæ coronam vocavit. Certe Augustinus eodem hoc anno ad Optatum Milevitanum scribens Epistolam in recensione nostra CXLIV. quæ non ita pridem detecta, et vulgata primum est Vindobonæ, testatur se nihil abs Hieronymo litterarum accepisse, super quæstione de origine animæ, quam ille si per vitam licuisset, explicaturum receperat. In Enchiridio autem, quod insequentem proxime anno quadringentesimo primo scripsisse dicitur (q. 2. n. 10 et q. 1. n. 4) Hieronymi tanquam defuncti jamdudum meminit, et titulo *sanctæ memoriæ* ornat. Concinit Prosper, cui fidem in hac temporis notatione deferri par est, tametsi in natali ejusdem designanda epocha, haud satis constare eum sibi, ostendimus. Ait vero, eum anno 420 videre desisse, *Theodosio IX. et Constantio III. Coss. et pridie quidem kalendas Octobris*: quam Ecclesiæ fasti diem memoria ejusdem consignant. Nisi itaque fallimur, ab anno circiter 446, natalitia ejus repetentes (quod nobis quidem multis, nec sane infirmis argumentis capite hujus historiæ I. adprobasse visi sumus) quum fato functus est Sanctus Pater, annum agebat ætatis quartum et septuagesimum. Nec movet nos, quod se ipse *pene decrepitem* (Ep. CXLII) alicubi dicat, et senio confectum, quæ homini annos septuaginta paulum prætergresso imputanda non videantur: ut et illud quod Augustinum vix octo post annos natum *dignitate quidem patrem,*

ætate autem filium vocet (Ep. CXXXIV). Sunt enim ista, ut dudum laudato cap. I. ostendimus, ex veteri illa ætatis humanæ per vicennia computandæ ratione desumpta, sæpe etiam corpusculi infirmitatem potius quam ætatem notant. Sed ea quidem sequiorum temporum Scriptoribus, quorum testimonia mox recitabimus, causa fuit, cur Sancti Patris Vitam per plures adhuc annos, et ad septimum usque et nonagesimum, eoque amplius proferrent. Nec desunt qui centesimum eum scribant præterisse. Narrant etiam ita eum vires defecisse, ut nisi fune manibus apprehenso, quod ad hoc ei de trabe pendeat, surgere de lecto haud posset. Tum in levem incidisse febriculam, quæ illum, jam in carne præmortuum dissolvit. Adfuisse juxta eum monachos, et Christo dicatas Virgines, atque alios undique de sanctis Locis, quos ipse a'arri vultu et læto conspicebat: aliaque his similia, quæ ut probabilitate non carent, nullo tamen certo Auctore adseruntur. Prætereo pseudo Eusebii ad Damasum Portuensem fabulas, quarum rationem nullam haberi velim. Sepultus in Bethleem est, ubi maximam vitæ partem egit: inde Romam postea translatus, super Exquilias in templo S. Mariæ Majoris summa cum veneratione populi frequentis colitur, et Maximi inter Ecclesiæ Doctores titulo donatus est.

Hæc sunt, RIVERA Cardinalis Eminentissime, quæ de Hieronymi Vita litteris consignanda habui, Tuoque volui amplissimo Nomini inscribere, ut palam omnibus sit, me Tuo præsidio, Tuisque abortationibus acceptum referre, si quod res erat, in ejus adornanda Operum editione sum assequutus.

INCIPIIT (a) VITA

SANCTI (b) HIERONYMI, PRESBYTERI.

Hieronymus (c) noster in oppido Stridonis, quod a Gothis nunc eversum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio natus est. Vestem

(a) Gennadio Massiliensi adscripsit, qui primus hanc Vitam ex antiquis Mss. in lucem protulit, Cl. Mabillonius, quem et nonnulli ex eruditorum choro sequuti sunt. Atque ipse etiam Martianus, homo recensione, nedum lectione Hieronymianorum operum subactus, qui verosimile id sibi videri professus est, tum propter styli rationem, cum propter silentium in causa Ruffini Aquileiensis, cui Gennadius impense favebat. Verum aliter, cum res ipsa, tum operis contextus omnis persuadet. Gennadius, qui Ruffino adversus Hieronymum tantopere favet, ut in Catalogo hunc *obtractatorem*, et *annulationis studio incitatum* dicat, illum vero, *non minimum partem Doctorum Ecclesiæ*, minime omnium credi potest, ejus voluisse aliquando gesta laudibus exornare, cujus nomini et virtutibus ferme iniquior fuit. Nihil deinde eorum hæc Vita continet, quæ verus Gennadius referre potuisset, imo et debuisset: satis enim habuit quisquis ejus Auctor fuit, Hieronymum descripsisse, nec fere quidquam habet, quod non in sua ex illo transtulerit. De suo autem quæ adtexuit falsa pleraque omnia sunt, et fabulas sequiorum temporum redolent. Denique ipse paulo incomptior Gennadiano stylo, totaque scriptio-

Christi puer Romæ suscepit, ibique litteris Græciæ ac Latinis a primævo eruditus est. In arte quidem nis facies Scriptorem octavi aut noni sæculi potius quam quinti refert.

(b) Hunc nos libellum cum antiquis satisque emendatis tribus Mss. codicibus comparavimus, ad eorumque fidem exegimus. Primus Vaticanus numero prænotatur 641. duo alii ex eadem quidem Bibliotheca sunt, sed ex his, qui olim Regiæ Suecorum fuere, quousque adeo de illius nomine appellamus. Alter numero 488, alter 825. deuotantur. Denique et Variantes Lectiones, quas seorsum edidit Martianus, et ad hujusmet Vitæ calcem amandavit, in consilium adhibuimus, hucque transtulimus. Excerptæ autem illæ sunt ex quinque codicibus Manuscriptis, iisque, ut vocat ille, vetustissimis, uno Corbeieusi, altero Narbonensis Ecclesiæ, tertio Monasterii Silvæ Majoris prope Burdegalam, quarto Luxoviensi, quinto Sancti Gallensi. Hæc primis statim verbis, Regiæ alter *Beati* habet pro *Sancti*: Vaticanus post *Presbyteri* addit et *Confessoris*. Tres ex his quos Martianus laudat, *Presbyteri Orthodoxi*, Longius albidit Narbonensis, qui aliam præfert inscriptionem, in *Natali S. Hieronymi Presbyteri*.

(c) Vaticanus cum Burdegalensi codice pro *noster*, *Presbyter* legit: tum ille cum duobus Regiæ a Gothis eversum absque *nunc* vocula.